DE VSV THERIACÆ.

Liber Secundus.

PRÆFATIO.

NIHIL profectò esset maximam cùm in eligendis Theriacam ingredientibus medicamentis, tum in ijsdem simul componendis adhibuisse diligentiam: frustrà item de eius repositione & conseruatione actum esset, nisi rectus eiusdem vtendi modus vltrò adiceretur. Nullum quidem quanquam leue medicamentum sine recta methodo in vsum ducere conuenit. Hoc autem aduersus pestes & venena pro vrbium cõseruatione communisque salutis causa inuentum, omnium medicamentorum mater appellatum, idem nostra opinione postulat, eóque magis quò maiorem inter reliqua medicamenta illud habet eminentiam. In quibus enim alia remedia vi morbi superata nihil contulerint, in his, vt Galenus sensit, theriaca exhibita egregiè operatur. Inter grauiora item medicamenta theriacam antiquos Medicos enumerasse certũ est, quam multis & iis quidem grauißimis morbis occurrere iidem constituerunt: imò eam rarò in vsum venire Celsus existimauit, lib. 5. cap. 23. quia grauissimis tantùm casibus opituletur, quibus nominibus nõ sine magna vitæ hominum iactura rationali me-

thodo eius vsus carere posset. Optimum propterea esse medicamentum theriacam dicimus, mirandósque propemodum effectus producere, si rectum habuerit vsum: perniciosam è contra ferméque lethale, si malum. Vt enim si lyram aut Citiam aliquis possideat, nec vsum noscat, tantum est, ac si eam non hæberet: sicqui Antidotum hanc domi continet nec vti sciat, nullam ex ea vtilitatem eum capere posse is censuit, qui librũ de vsu theriacæ ad Pamphil. scripsit. Extant quidem apud hunc authorem & apud Galenum, Ætium, Paulum, Auicennam, Serapionem, Haly Abbatem & Auerroem quædam de recto theriaces vsu monumenta: sed vniuersalia cùm sint, & propter breuitatem obscura, particulari quadam explicatione egere videntur: eámque præcipuè ob causam quòd eorum pleraque à recentioribus in controuersiam ducantur, neque tamen omnia, vt ipse sentio, rectè ac pro ratione determinata: ita vt apud plerosque in morbis nonnullis theriacæ damnandus abusus exortus esse videatur. Erit igitur tractatio huiusmodi de recto theriaces vsu, cùm vtilis, tum necessaria. Sed quoniam quicquid agunt in nobis medicamẽta, id per suas facultates agunt: quas propterea facultates habeat theriaca, scire imprimis necesse est. Indéque quos præsentes morbos sanet, & quibus imminentibus occurrat manifestum fiet: quibus item hominibus conueniat: & his quibus conuenit, quantũ, quomodo & quãdo sit exhibenda, hæc eadem commonstrabit. Quæ omnia ab his qui rectè theriaca vti volunt spectari debere, Galenus aliíq; antiqui Medici constituerant.

QVAS

QVAS FACVLTATES HABEAT THERIACA.

Caput Primum.

THERIACÆ igitur facultatum cognitio rectũ eius vsum ostendit quidem: sed id assequi difficile satis esse intelligo. Plures enim prædicantur theriacæ facultates, hæque tum sua natura, tum etiam propter opinionum varietatem obscuræ sunt ac explicatu difficiles: quod probè cum cognouisset Auicenna, impossibile esse dixit de eis loqui sermone manifesto. Aliquid, dicebat ille, in lib. de Viribus cordis tract. 2. cap. 4. est notum, aliquid verò ignotum. Notum est quod illi aduenit ex simplicibus, ignotum quod ei aduenit post commixtionem. Theriacam veneno viperæ & Scorpionis conferre, propterea quia in ea sunt medicamenta huius facultatis, notum est: quemadmodum etiam eam hepar excalefacere & cor: ignotum verò quod ex commixtione vires suscipiat humanæ naturæ valde conuenientes. Duplex igitur est, huius opinione, in genere theriacæ virtus: ab eius temperamento & manifestis qualitatibus proueniens vna, & ab eiusdem forma specifica siue proprietate occulta enascens altera. Galenum eiusdem opinionis fuisse, & duas huiusmodi cognouisse in theriaca facultates priore libro sæpius admonuimus, hoc idem clariùs hoc loco demonstraturi. Quanuis autem eandem sententiam habuerit Auicenna lib. 5. sum. prima tract. primo ab initio, res tamen ob recentiorum medicorum

varias opiniones facta est satis controuersa. Quis credat, dicunt aliqui, per manifestas simpliciũ quę suscipit in cõpositione medicamẽtorũ qualitates agere theriacã: qui didicerit (vt priore libro sępius dictũ est) simpliciũ medicamentorũ formã viresque in hac cõpositione minimè seruari: sed iis in fermẽtatione omnino deperditis, tertiam quandã formã nulli ex simplicib. medicamẽtis similẽ, sed diuersam enasci, quæ theriacæ effectus producit? In hãc sanè sententiã totus iuisse visus est Auicenna, in lib. de virib. cord. tract. 2. cap. 4. huiusmodi vsus argumentatione: si operatio theriacæ procederet ex parte simpliciũ, & nõ ex parte dispositionis quã iua cõplexio præbet, esset vtiq. recens efficacior & vtilior fermẽtata: cuius cõtrariũ tamẽ est. Hoc idem illud est quod Serapio lib. de Antid. tract. 7. cap. 8. his verbis explicauit. Caro viperarum in theriacæ mixtione non est caro, neque opium, opium sed est theriaca: sicut ignis & aqua in homine non est ignis neque aqua. Addidit deinde: Si conferret theriaca per vires medicinarum ex quibus componitur, tunc minimã quamque cuiusuis medicamenti portionem suas vires posse exercere fatendum esset. Cùm enim parua theriacæ portio siue quantitas exhibeatur, in ea medicamentorum simplicium portionem quàm minimam esse certum est: hanc autem illius simplicis medicamenti effectus producere posse impossibile est. Præterea in theriaces mixtione vini mellísq. medio ad minimas partes vniuntur medicamenta, inter séque deinceps agunt & patiuntur: ex qua mutua actione & reactione valdè illa

pati

pati & ſuas vires nõ ſeruare neceſſe eſt. Deperditis igitur ſimpliciũ medicamentorũ viribus, per manifeſtas eorũ qualitates theriacã agere poſſe videtur impoſſibile. At de facultatib. eius à forma ſpecifica prouenientib. maior videtur eſſe dubitatio. Cùm enim ꝓprietas hæc ſubſtantialẽ rei formã conſequatur, vt Cõciliator defendebat Differen. 178. vtique niſi per generationẽ introducitur, quod euenit in primã præcedente reſoluendo materiã: ad autẽ, Natura fit, non Arte, cùm ipſa principiũ ſit intrinſecũ, totũ hoc in totũ tranſmutans: hoc autẽ extrinſecũ. Expedit etiam generatio, cùm ſit Natura, ſubiectum in potentia, ars verò in actu, cùm eius tantũ ſit alteratione tranſmutare: theriaca verò arte cõficitur, & nõ natura. Rurſus ſubdebat ille idem ibidem: Nihil agit vltra ſuam ſpeciem: quare ſi ars quæ facit theriacam faceret formam ſubſtantialem, ſequeretur illam facere id quod natura facit. Addebat propterea: Si proprietas poſſet arte induci, cum ſubſtantiali forma quam ſequitur induceretur, & ita ex ferro aurum, & ex auro ferrum ars facere poſſet. Sed & Galenus lib. 3. de ſimpl. med. facult. cap. 4. omnem mutationem à medicamento factam caliditate, frigiditate, ac reliquis qualitatibus primis fieri teſtatus eſt, vt ideo nulla à proprietate actio medicamentis debeat concedi. Elementa quoque, vt ſenſit Auerroes libri ſeptimi de ſapientia comm. 31. non agunt ſubſtantia ſua, ſed qualitatibus: quapropter quæ conſtant ex elementis medicamenta per qualitates, non per ſubſtantiam agere dicuntur. Porrò ex multis quæ aduerſus

ciusmodi occultas medicamentorum actiones plerosque adduxisse scimus, hæc pauca sufficiant: quando de his quæ à proprietate agunt absolutã hoc loco minimè profiteamur tractationem. Vtcunque autem sit, eiuscemodi medicamentorum occultas actiones ab ipsis primis qualitatibus vel omnino non, vel saltem obscuriùs proficiscentes dari, cùm antiqui Medici omnes, Galenúsque præcipuè, tum experientia ipsa testantur manifestè. Pudet pigétque Galeni & aliorum antiquorum Medicorum, loca omnia, in quibus sine dubitatione id attestantur, hic adscribere: tótque sunt huiusmodi ab eisdẽ enumerata medicamenta, vt vel indies per experientiam ipsam manifestentur certiùs. Ne tamen locus hic probatione careat penitus, aliqua tantùm in exemplum adducemus. Librum de huiusmodi medicamentorum facultatibus semel Galenum promisisse, in calce prioris sermonis nostri adnotauimus. In lib. 13. method. med. cap. 6. finem versus, manifestissimis verbis quædam asserit esse medicamenta, quę totis substantiis suis, quædam quæ solis qualitatibus agunt. Auicennam eiusdem generis medicamenta approbasse ipsius theriacæ exemplo, cui occultas sæpius tribuit vires, satis constat. Cantharides solam vesicam, leporem marinum solos pulmones exulcerare nullus nescit: neque tamen aliquis certam horum affectuum afferre potest rationem. Molestus nimis essem proculdubio, si pro hac re manifestãda pluribus vltro vterer. Qui verò contentiosè nimis hæc negarunt, suisque rationibus ea euertere conati sunt, ij Aristotele iudice sensum

ſum propter rationem relinquentes, pœna ſenſus digni ſunt. Theriacam itaque ex multis medicamentis occulta hac facultate præditis compoſitam, eandem poſt fermentationem habere, Galeno aliiſque id apertè aſſerentibus, credendum eſt. Atque ſicuti nihil nobis curæ eſt, facultatem huiuſmodi formam ſpecificam, vel proprietatem ſubſtantiæ occultam, vel à tota ſubſtantia appellari (quibus nominibus ad facultatem hanc nobis ſignificandam promiſcuè aliquando vſum fuiſſe Galenum conſtat) ita quid ſit hæc occulta facultas & quam cauſam habeat, qua in rei parte conſiſtat, an plures ſpecies habeat: aut quidpiam huiuſmodi de ea hoc loco diſputare non lubet. Occultam eſſe dicimus hanc facultatem, cuius medio mirandos effectus efficiunt medicamenta: cuius facultatis & effectuum ratio nulla reddi cùm poſſit, ſola ideò experientia nobis innoteſcit, quemadmodum loco ſcripto, & alibi ſæpius Galenus affirmauit: quare & eiuſdem experientiæ medio vires huiuſmodi theriacæ ineſſe antiqui medici cognouerunt. Atque vt verum eſt, obſcuram hanc facultatem theriacæ ineſſe: ita & veriſſimum, per manifeſtas quas dicunt qualitates & primas eandem agere. Loca in quibus Galenus & alij antiqui medici id atteſtantur, multa ſunt à nobis paulò infrà adducenda examinandáque. Idem ratione demonſtraſſe hoc loco ſufficiat. Tot medicamenta à medicis Græcis & Arabibus compoſita primarum qualitatum medio morbos depellere nullus, arbitror, in dubium vertit. Sunt tamen compoſita: & ſimplicia ex quibus compo-

nuntur ſuam formã exuũt, aliamq. omnino diuerſam induunt, quæ compoſiti forma eſſe dicitur. Idem igitur de theriaca fateri conuenit, quæ ſuã formam ex medicamentorũ mixtione & vnione acquirit, & nihilominus per qualitates primas agit. Fatemur nos quoq. ſimplicẽ ſimpliciũ medicamentorum formã in cõpoſitione deperdi, tertiamq. aliã enaſci omnino diuersã. In hac tamen primarum qualitatũ vires adhuc ſeruari dicimus. Porrò cuiuſq. ſimplicis medicamenti vires, refrigerãdi, exiccãdi, excalefaciẽdi, humectandi, in cõpoſitis medicamentis integras minimè ſeruari cõcedimus. Ex his tamen compoſitũ medicamentũ exiccare, humectare, excalefaccre, refrigerare dicimus. Et vbi de ſola theriaca particulariùs loqui placeat: ſimpliciũ quorundã medicamẽtorum eã ingredientiũ vires integras quodã ſaltem tẽporis ſpacio ſeruari, vnius opij ſuas vires integras toto primo anno ſeruãtis exẽplo docemur. Quę miſcẽtur inter ſe ſimplicia medicamẽta per primas qualitates agẽtia, concentũ quendã conſtituũt, aliquã ex dictis qualitatibus per quã agat habentẽ præcipuè. Neq. ad id demonſtrandũ & magis confirmãdũ aliud certius ſuccurrit argumentũ eo, quod ex Serapione in contrariam partem ſuprà adductum eſt. Sicut ignis & aqua in homine non ampliùs eſt ignis neq. aqua: ita caro viperarum & Opium in theriaca caro & opium ampliùs non ſunt. Ex hoc autem illud ſequitur, noſtra opinione, vel manifeſtè: vt ſicuti ex mixtione aquæ & ignis & aeris & aquæ fit homo calidæ, vel frigidæ, vel ſicoæ vel humidæ cõplexionis, in quo elemẽtorum actiones

actiones reseruantur:sic ex multorum medicamē torū mixtione fiat compositum,quod theriacam dicimus, simplicium medicamētorum facultates retinens:vtq.deinde docebimus, excalefaciens & exiccans.Non est omniū etiam consensu philosophorū impossibile, quæ mixtionē ingrediūtur simplicia,siue in naturalibus id eueniat,siue in artificialibus,suarū viriū aliquid seruare,licèt priorem formam omnino amittant. In naturalibus id manifestū faciunt elementa, in hominis generatione suas vires duntaxat seruantia,& formā primam exuentia.In artificialibus,quæ per alembicum vi ignis eliquantur medicamenta idem confirmant vel manifestè.Et ex his ad argumenta in oppositam partem adducta patet responsio.Non dicimus nos theriacam excalefacere per singulam quandam simplicium medicamentorum minimam portionem, quæ in ea pauca quantitate oblata continetur: sed per totam eam quantitatē quæ offertur, cùm ex his constet medicamentis, quæ excalefaciunt.Exēpli gratia:Piperis,Gingiberisve,scordij aut Acori granū vnū deuoratū minimè excalefacere poterit:ex his omnib. simul mixtis factū medicamentū excalefaciet proculdubio. In drachma vna theriacæ modicum quid Piperis in eo existens, & aliorū similiter medicamentorū portio minima excalefacere haud potest:sed omnia simul mixta drachmam illam constituentia excalefacient. Hoc idē alio medio declarauit Auer.in lib.de ther.cap.primo, quæ res cùm cuique eū locū legenti manifesta esse possit, non debuit hic à nobis vltrò exscribi. Quod de mutua

interſe medicamentorum actione & paſſione dicebatur:id ex his quæ in calce prioris libri de theriacæ viribus ex ea mutua actione & paſſione reſultantibus docuimus corruit. Rem hanc igitur totam perſtringamus breuiter,& ex tot medicamentorum mixtione ac fermentatione formam quandam tertiam enaſci dicamus omnino diuerſam,ex qua actiones, tum primarum qualitatum manifeſtæ, tum etiam ex totius ſubſtantiæ proprietate occultæ prodeunt. Et per hæc his quæ dixit Auicenna reſpondetur pariter, quem lib.5. ſum.prima tract.& cap.primo ſcripſiſſe certum eſt:non efficere theriacam ſuas operationes, niſi propter proprietatem formę eius,ſequentem cõplexionem ſimplicium ipſius. Pro harum autem occultarum actionum defenſione iis breuiter reſpondendum eſt,quæ in cõtrarium adducta fuere. Ad primum itaque dicimus formam ſubſtantialem in artificialibus impropriè dici,in eúmque ſenſum accipi:vt ſicuti in naturalibus per generationem forma ſubſtantialis introducitur, quæ operationes edit, ita in artificialibus forma quædã impropriè ſubſtantialis dicta per mixtionem introducitur,ex qua compoſiti actiones proueniũt. Et quanuis Naturam Ars imitari pro virili conetur, idem tamen cum natura facere nec poteſt, nec intendit,quod ſecundo loco obiiciebatur. Quanquam enim ars in compoſitione theriacæ multa congeſſerit,eandémque pro virili cum natura rerum ſymmetriã ſeruauerit, calórque cœleſtis ex iis proceſſu temporis formam quandam introduxerit, mediante coctione & fermentatione,non

ne,non tamen adhuc propriè omnino ſubſtantialem hanc formam dixerim,ſi quidem partes multas in eiuſmodi opificio ars habuit. Ad Galenum lib.3.de ſimpl.med.facult.cap.4. non placet cum multis reſpondere, etiam occultas actiones, ab ipſis primis qualitatibus prouenire: quãdoquidem eſt hoc in magna apud multos poſitum controuerſia. Dicamus potiùs loqui eo loco Galenũ de actionibus manifeſtis,quas omnes à frigiditate,caliditate,ſiccitate , & humiditate proficiſci certiſſimum,de occultis poſtea alibi ex profeſſo locuturũ. Id verò quod ex Auerroe vltimo loco deductum eſt,eandem habet cum primo argumẽto reſponſionẽ : quia ſubſtantiæ nomine vtantur medici impropriè:vtq. per qualitates ipſas medicamentorũ manifeſtas actiones fieri certi ſumus, ita occultas à ſubſtantia vel à forma prouenire prorſus ignoramus.Dicuntur illæ quidem occultæ,nõ quia occultæ ſint(eas enim cùm lubet obſeruamus) ſed quia cauſam conſequuntur nobis penitus ignotam & obſcuram,quam proprietatẽ ſubſtantiæ,formã ſpecificã, proprietatẽ occultã nomina quædam ad placitũ effingentes appellaſſe medicos ab initio admonuimus. Theriacæ igitur duplices in genere inſũt vires: manifeſtæ aliq, & aliæ occultæ. Modò quænam & quot hę ſint, inquiramus, ſumpto ab his quæ occultæ ſunt , à nonnullis digniores appellatæ,initio.Eſſe Theriacam ex Alexeteriorum ſiue Alexipharmacorum eorum genere quæ à tota agunt ſubſtantia , non eò tantùm argumento conſtat,quòd id communiter ab omnibus receptum ſit: ſed quia etiam id

ratione demonstretur. Etenim eiusmodi à tota substantia agentia Alexipharmaca, Galeno magistro lib.5.de simpl.med.facult.cap.18.naturam habent mediam inter corpora perpetientia & medicamenta ipsa siue venena lædentia:vt videlicet eadem sit proportio corporis ad facultatem Alexeteriam, quæ illius ad deleteriam, & rursum deleterij ad Alexeterium,quæ Alexeterij ad corpus.Ea propter propemodum omnia quæ deleteriis aduersantur,si largiùs sumpta fuerint,grauiter animantis corpus oblædunt. Quamobrem ea moderatione quantitatis omnes id genus facultates, dicebat ibidem Galenus, exhibere oportet: vt neq.copia nimia corpus offendāt,neq. exiguitate sua à deleteriis vincantur.Sed hac quantitatis moderatione in vsum venire debere Theriacam, Galenū & alios iussisse in ea huius libri parte manifestum fiet,quæ de theriacæ quātitate offerēda pertractabit.Theriacā itaq. ex eorum Alexipharmacorum genere esse certum est,quæ à tota agūt substantia. Hoc idem inde euadit manifestius, quòd ex his sit composita theriaca medicamētis, quorum occulta proprietas venenis est aduersa. Cæterùm cùm sint hæc quoque in duplici differentia,vt eodem loco Galenus docuit, quia scilicet vel alterando agunt,vel euacuando: vtranque vim possidere theriacā dicimus. Citra nanq.euacuationem intrò assumpta venenis omnibus, & venenosis animalium morsibus,cuiuscunq generis fuerint venena morsúsue,calida aut frigida,occurrit theriaca:vt ex Andromacho ipso &aliis intelligemus deinde.Sed & foris admota theriaca substan-

ſubſtantiæ ſimilitudine morſis à venenoſo aliquo animali, aut partibus aliter à veneno infectis, medicorũ, omniũ antiquorum & recentiorum conſenſu, vtiliter adhibetur. Negandum non eſt Theriacam excalefaciendo, exiccando, attenuando & ſudores mouendo venenis occurrere interdũ, ſed accidentalem eſſe hanc eius actionem dicimus, non propriam & eſſentialem, qualis alia proximè dicta. Hæc igitur prima eſt theriacæ occulta dicta proprietas, veneno nimirum cuiq. & venenoſi cuiuſq. animalis morſui primò ac per ſe per ſubſtantiæ ſuæ actionem nobis occultam mirificè occurrẽdi. Andromachus, Galenus, Oribaſius, Aetius, Paulus, Actuarius, Myrepſus, Auicenna, Haly Abbas, Serapio, Auerroes & poſt hos quicunq. de rebus medicis in hanc vſq. diem ſcripſerunt, id aſſeueranter affirmarunt. Perpetua tamen hæc non eſt in theriaca facultas, quæ, vt in calce prioris libri demonſtratum eſt, poſt triceſimum ab eius compoſitione annum euaneſcit. Sed nõ minùs occultæ ſunt actiones à Galeno in lib. de ther. ad Piſon. cap. 15. 16. & vltimo, eidem attributæ: animi nimirùm morbos ſanandi: prudentiam & ingenij acumem faciendi: nec non & vitæ tempus producendi. Animi morbos ſanare theriacam ſumma eſſe admiratione proſequẽdum, Galenus cap. 15. modò adducto conſtituit, tãquam id perinde faciat, ac ſi in his qui melancholia tentantur è ſplene ac reliquis membris atram bilem exugeret: cùm tamen huius theriacæ facultatis nulla ei ratio innotuerit. Compertum item eidem eſſe teſtatus eſt, cap. 16. in fine, theriacam

ad animi prudentiam & ad ingenij acumen haud parum conducere:quandoquidem,inquit,& sensus actiones suas fortiter obire faciat, & mentem à vaporibus corporis liberando solertem magis reddat.Præcisam tamen & proximam tanti effectus causam vltrò non attulit. Sed quis causam, cur hoc idem Alexipharmacum vitæ tempus producat, sese inuenire profitebitur,cùm ob venena quæ continet contrarium potiùs facere aptũ esse videatur? Profectò non in cũ sensum vitæ productionem eo loco Galenus intellexit, quæ morbis depulsis nobis euenit: qui iam de multiplici eius aduersus morbos vitæ insidiãtes virtute antea plenè locutus fuerat,sed de admiranda vitæ productione,calore ipso innato in nobis diutius conseruato, locutus est, cuius nulla euidẽs adduci potest ratio.verùm & inter admirandos occultósq. theriacæ effectus is enumerandus est,quem aduersus aquæ formidinem morborum omnium pessimũ magno encomio Galenus enuntiauit,cap.16. libri proximè adducti. Profectò calidum & siccum medicamentum,qualem postea docebimus esse theriacam,aquæ formidinẽ auferre,strenuéq. aduersus tot malorum concursum dimicare,quibus nõ solùm corpus exiccatur, & interdum contrahitur, febréq. intus aspera comburitur:sed etiã animus delirat,& difficillimo symptomate molestatur,vt admirationem habet maximam, latentem ita & nobis prorsus ignotam habet rationem.Sed alias huius Antidoti vires occultas eodem loco nobis retulit Galenus,pestis nimirum præsentis euincendæ,imminẽtis arcẽdæ,optimæ corporis tẽperatu-

turæ

turæ constituendæ, bonæ valetudinis conseruandæ, totiúsque corporis ita disponendi, vt à nulla re noxia corrũpatur. Quanquam enim effectuum horum quorundã rationes quasdam attulisse visus sit eo loco Galenus: eæ tamen ex æquo non satisfaciunt, vt ad occultum quidpiam sit nobis ex necessitate confugiendum. Hanc rem si quis nobiscum paulò attentiùs consideraverit, eam sic se habere intelliget. Theriacam pesti occurrere, tanquam ignis purificans & ipsa esset: ipsos quidem qui sani adhuc ipsam biberint non permittere vt pestilentia prorsus capiantur: illos autẽ qui iam ægrotent, sanare posse, cùm aëris inspirati malignitatem commutando, tum corporis temperaturam corrumpi non sinendo, eo in loco Galenus asserit. Quorum effectuum rationem quis reddat manifestam? Iam pestem ipsam ceu bestiam venenatam ciuitates depascere priùs Galenus dixerat. Pesti igitur ea vi occurrit theriaca, qua venenis aliis aduersatur: sed hæc est occulta. Hippocrates, Galeno ibidem enarrante, pestem illam ex Aethiopia ad Græcos venientem, accenso per vicos & plateas igne ad aerem qui corruptus erat expurgandum, repulit. Hoc idem posse theriacam assumptam Galenus admonet. An fortè tantam excalefaciendi exiccandíque vim theriacæ inesse dicemus, quantam ignis habet? optimam corporis temperaturam quódnam medicamentũ theriaca excepta facere potest? multa quidem medicamenta dum intemperies remouent & temperiem fouent, natiuam sanitatem recuperant & conseruant. Sed quæ sua natura non

bona est temperatura ad optimam reducere, solius ferè naturæ effectus est. Virtutis quidem naturalis confirmatio à manifestis qualitatibus prouenire interim potest: magna tamen ex parte ab occultis medicamentorum proprietatibus præstari dicitur. Quæ præterea ratio reddi potest, nec etiam subobscura, vt medicamentum aliquod suis manifestis qualitatibus totum corpus disponat vt à nulla re corrumpatur? Hanc resistentiam, inquit Galenus, procreat tam varia & efficax tot medicinarũ compositio, & præsertim quæ ipsam ingrediuntur viperæ. Quare ex multiplicium medicamentorum vnione formam quãdam tertiam occultè agentem resultare iam docuimus, viperásque, tanquam proprietate sua miram aduersus venena & alios morbos vim habentes, ab Andromacho in theriaces cõpositione adiectas fuisse in initio prioris libri explicauimus. Sãguinem, inquit libri de vsu ther. ad Pamphil. author, theriaca bonum reddit: non quia malam sanguinis qualitatem excernat: sed quia eius contumaciam vincat, & ex inimica amicam efficiat. Quin & eos quas malignas aquas bibere necessitas cogit, theriaca assumpta tanquam lorica corpus suum tueri, ille idem scripsit: neque tamen huius rei euidẽs ac certa extat ratio. Auicenna in libello de viribus cordis tract. 2. cap. 4. nullam medicinarum compositarum æquiparari theriacæ & Mithridatio dixit, in conuenientia ad complexionem humanam, ídque cur sit ignotum omnino esse. Nam, inquit, & sapientes speculatores præcisè determinasse, quòd directio seu cognitio ad compositionem

tionem istarum medicinarum processit ab inspiratione ac prouidentia diuina, aut à re inspirationi simili. Etenim deductio rationis non pertingit, sua opinione, efficaciam compositionis ipsarum. Hic idem author, lib. 5. sum. prima tract. primo ab initio, morbos tam frigidos quàm calidos theriacam euincere scripsit: quam rem admiraberis potiùs quàm in suas causas reducere valeas. Minùs quoque rationem reddes, cur nostri corporis facultates theriaca exuscitet, quod ab Actuario scriptum est lib. de spirit. animal. nutrit. cap. vltimo. Sunt hæ itaque operationes: theriacæ ab ignota nobis causa prouenientes aduersus quas videre videor insurgentem aliquem, & quia optimam his temporibus non confici theriacam existimet, non posse nos hos admirandos effectus ab ea expectare asserentem. Huius discriminis illud nimirum in causa esse existimauerit, quòd plura à nobis desiderentur generosa pretiosaque aromata, quæ legitima & omnium præstantissima suis Antidotis imponebant Mithridates, Attalus, Andromachus, Galenus & alij complures veterum, & quæ ingenti pecunia summo studio ac labore ab Arabum, Aethiopum, Troglodytarum, aliarúmque diuersarũ gentium regionibus illius florentissimę ætatis Imperatores Romam afferri curabant. Verùm enimuerò quęcunq. fuerit superioris ætatis conditio, illud hac nostra ætate certissimum cuique esse potest, multa ob temporis iniuriam aut potiùs propter hominum negligentiam penè derelicta & prætermissa in pristinum candorem esse reuocata, & suæ integritati restituta.

Atteſtantur hoc imprimis præclariſſimorum huius temporis medicorum ſcripta: apertis deinde vndique viis, ac ad omnes etiam remotiſſimas regiones patefacto aditu, multa ad nos adferuntur medicamenta ex iiſdem quæ tantopere antiquitas celebrauit, & quibus Patres noſtri omnino caruerunt, vt propterea Medicorum doctiſſimorũ accedentibus ſtudiis optimam theriacam parari poſſibile ſit. Huic ſi tanta adhiberetur fides, quantam antiquitas habebat, illiúſque vſus aſſiduus reuocaretur: priſtinam ſine dubio reaſſumeret exiſtimationẽ antidotus nobiliſſima. Marco enim Antonino Imperatore Romano aſſiduè & cum magna vtilitate theriaca vtente, magna medicamento ipſi acceſſit exiſtimatio. Hodierna autem die in nullo ferè eſt illa precio, paucíque ea vtuntur, eiúſque ideò admirandi effectus non obſeruantur. Quis eſt qui ad tuendam valetudinem theriaca vtatur: ſi tuendæ valetudinis ars, medicinæ pars præſtantiſſima, cùm ferè deſueuerit iacet inculta prorſus? Quis ad animi mores cõponendos Medici auxiliũ implorat? Quis ad ingeniũ acuendum & corporis temperamentum renouãdum ad medicinam confugit? Paucos profectò Medicos in morborum curationibus theriaca vti animaduertimus: imò aliquos eius vſum damnaſſe prorſus, illiúſque compoſitionem iudicaſſe ſuperfluam ipſimet aliquando audiuimus. Sanè verò vt medicamenti cuiuſque frequens vſus illius vires facit in dies manifeſtiores: ita idem, ſi rarò in vſum venerit, in obliuionem ferè ibit. Sed vtcunque ſit, quæcunque aduerſus theriacam ſcri-

pta

pta fuisse legimus, ea omnia illius compositionem vt imperfectam supponunt: quæ siue ex optimorum medicamentorum penuria, siue ex componentium ignorantia proueniat, ob id propterea in ipsam Antidotum non est referenda culpa, neque sua laude est illa priuanda, quam nos hoc loco & optimam & optimè compositam supponimus. Sed his omissis ad eas theriacæ facultates inquirẽdas accedamus, quæ à manifestis eius qualitatibus proficiscuntur. Has quidem tum ad rectam eius vsum assequendũ inuenire necesse est: tum etiam ob eam causam, quòd, vt authori libri de ther. vsu ad Pamphil. placuit, si ad morsus serpentum & ad venena tantummodo faceret theriaca, oporteret eam domi repositam tanquam picturam aliquam aspernari, nullo ferè vsu: sed sola vetustate absumedam quandoquidem rari sint venenorum & venenosorum morsuum casus. Excalefacit hæc igitur atque vnà exiccat, Galeno magistro lib. 8. meth. med. cap. 7. cuius sententiam ex professo acceperunt Auicenna lib. de Viribus cord. tract. 2. cap. 4. & Auerroes lib. de ther. cap. vltimo. Eo item argumento theriacam exiccare Galenus comprobauit: quòd ad vlcera pulmonis purulenta exedentiáque exiccãda se illa fœliciter vsum fuisse testatus est, lib. 4 de loc. affectis cap. 8. Atque hoc non ob id tantùm affirmandum est, quòd à magistris hisce nostris manifestè enuntietur: sed quia rationem habet euidentem, & illam quidem multiplicem. Mithridaticã compositionem excalefacere exiccaréque vno omnium cõsensu Medicorum affirmare licet: at theriacam

minùs quidem excalefacere, ſed magis exiccare maior pars affirmat. Si deinde eius compoſitionē ingredientium medicamentorum temperamentum attentiùs paulò conſideraueris, idem promptiùs concedes. Quanquam enim ſex frigida recipiat medicamenta: ſuccum ſcilicet radicis dulcis, roſas ſiccas, terram Lemniam, ſuccum Hypociſthidis, Acaciam & Opium, reliqua tamen omnia cùm ſint ad vnum calida, in maioríque quantitate ſumpta (quorum alia in primo, alia in ſecundo, alia in tertio ordine excalefaciendi vim habent) ſuperata ab his frigidorum temperie, compoſitionem ipſam calidum medicamentum euadere neceſſe eſt. Quoniam autem maxima imprimis frigiditatis eſt actio, quæ non ita facilè & cito à maiori caliditate euincitur, & quod in theriaca ingreditur Opium tantæ frigiditatis eſt (refrigerat enim in quarto ordine) vt vel maximè reſiſtat excalefacientibus: hinc fit vt intermedio eo tempore, quo per contrariorum horum medicamentorum actionem & paſſionem frigidorum vis euincitur, excalefacientem adhuc non habeat theriaca facultatem, ſed refrigerantem, hoc idem affirmante Galeno ipſo, qui Matronæ illi Romanæ ex ſalſo catharrho ſanguinem expuēti, ad ſanguinem reſtringendum & ſomnum inducēdum, theriacam quarto tantùm menſe compoſitā obtulit. Ac idem in lib. de ther. ad Piſon. cap. 15. ſæpe theriacam furentium deliria generosè ſedaſſe excitato ſomno, ac per eū etiam animi turbulentiam perplexáſque cogitationes eandem ſedaſſe, ſcripſit. Atque vt id poſtea ad hanc vſque diem

apud

apud omnes receptum est & experientia confirmatum : ita ab ipsius theriaces fermentatione refrigerantem eius vim deperdi & excalefacientem induci, eo quisque persuaderi debet argumento, quòd post fermentationem theriacæ nullum particulare medicamentum suas peculiares vires retinet, sed ex forma illa specifica enata aliæ vires prodeunt, quas ex necessitate excalefacientes esse nuper docebamus. Hoc idem verisimili satis cõiectura vltrò cõfirmatur, quia Galenus refrigerare, somnúmque inducere in animo cùm haberet, theriaca non adhuc fermentata, quatuor tantùm menses ante confecta vius est. Qui frigidam non esse primis sex mensibus theriacam contendunt mordicus, quia excalefaciat, eorum opinione, opium : hi & ab experientia ipsa, & ab his quę de Opij facultate priore libro scripta sunt redarguuntur. Cæterùm vim excalefacientem habere theriacam licèt verùm sit, sub quo tamen excalefacientium gradu illa reponenda sit, vltrò inquirendũ est : vt hinc quoque rectus magis apud nos sit illius vsus. Hanc rem determinasse visus est Auicenna loco paucis ab hinc assignato, in fine secundi gradus calefacientem constituens theriacã, quod quidem rationem habere videtur qua confirmetur manifestam. In theriacæ enim compositione nullum assumitur medicamentum, quod ad quartũ excalefaciẽdi ordinem pertineat (chalcitis nanque vbi vsta probè fuerit, exurentem amittit vim) sed aliqua assumuntur calida in tertio gradu, quædam in primo, & longè plura in secũdo : nonnulláque, vt diximus, refrigerantia. Quæ

propterea tertij ordinis excalefacientium ſunt, ab his quæ primi ſunt & ſecundi remittuntur, multóque magis à refrigerantibus. Omnia igitur inter ſe ſi commenſuraueris, excalefacientem huius medicamenti vim ad tertium gradum accedere minimè poſſe inuenies. Cæterùm ſi hoc tanquam proprium theriacæ temperamentum conſtituere cogamur: id illi in ſuo vigore exiſtenti, erit vtique à nobis aſſignandum. Nam ante fermentationem ſi refrigerat, in contrarium certè ſtatum ſine medio deduci haud poteſt. Quare ſtatim à fermentatione ſecundum caliditatis gradum minimè ſuſcipiet, ſed primum tãtùm: creſcente autem eius vigore & caliditas augebitur, vſque quo ſecundus gradus fuerit introductus. Sanè verò id ex eo confirmationem ſuſcipit, quòd annorum duodecim ſpacio ſuam omnem perfectionem theriacam acquirere demonſtratum eſt in calce prioris libri: quo tempore valentiores euadunt eius manifeſtæ qualitates. Non inanis propterea eorum eſt coniectura, qui theriacam vſque ad ſeptimum aut octauum annum (fermentationis tamen tempore excepto) in primo excalefaciendi ordine conſiſtere dicunt: inde verò ad ſecundum deinceps peruenire: ita vt in anno duodecimo non parum etiam ſit in eo ordine progreſſa: in quo deinde ſtatu ſi optimè conſeruetur, vſque ad annum triceſimum permanet, à quo tempore vſque ad annum quadrageſimum aliquid dictæ caliditatis amittit, & ſic deinceps vſque ad ſexageſimum declinat. Porrò etiam exiccantem vim theriacæ ineſſe, non multum difficile eſt demonſtrare. Hæc enim

enim omnia ferè medicamenta ſuſcipit in compoſitione exiccantia: inter quæ quædam ſunt quæ eximiè exiccant, paſtilli nimirum Hedychroi, carnes viperinæ & Opium. Hedychroum medicamentum exiccare, vel ex eo Galeni loco conſtat, qui ex lib. 4. de locis patiẽtibus proximè aſſignatus eſt. Carnes viperinas exiccare pariter idem Galenus conſtituit lib. 11. de ſimpl. med. facult. cap. de vipera: imò ingentem exiccandi eius eſſe facultatem docuit. Opium quoque exiccare (quicquid apud quoſdam circa hoc in controuerſiam ducatur) eiuſdem Galeni fuit opinio lib. 1. de temp. cap. 2. quem ſequuti ſunt, Raſis, Auicenna & Serapio, in quarto exiccantium ordine illud reponentes. Quapropter cùm ſatis inſignẽ Opij, throchiſcorum viperinorum & Hedychroi quantitatem recipiat theriaca, & alia multa quoque contineat in tertio ordine exiccantia, eius propterea vim exiccantem tertij ordinis eſſe bona ratione conſtituerunt. Et quanuis ab eius compoſitionis initio maximè in ea vigeat Opiũ, quod maximè exiccat: non tamen eo tempore magis exiccare theriacam dicendũ eſt, procedente verò illo hanc facultatem imminui. Nam etſi vim Opij refrigerantem ab aliorum medicamentorum caliditate euinci tãdem neceſſe ſit: cùm tamen omnia fermè alia medicamenta exiccent, ſiccitas propterea eius minimè retunditur, ſed ſemper perdurat, quare & theriacam vſque in finem exiccare certum eſt. Difficultatem tamen illud facit, quòd recentem theriacam, antéque fermentationem potiſſimùm, ſomnũ inducere & incraſſare, vel Ga-

lenus ipse, vt proximè audiuimus, constituerit: sintque hi humiditatis effectus euidentissimi, asserente eodem Galeno lib. 4. de rat. vict. in acut. com. 4. à multa humiditate propensionem ad altiorem somnum fieri, à multa verò siccitate vigilias. Vrgeret sanè maximè argumentum, si solam humiditatem somnum cõciliare verum esset: sed quoniam & solam frigiditatem id posse Galenus determinauit, lib. primo de symptom. cau. cap. 8. mirandum propterea non est recentem theriacã, etsi exiccet, ob multam opij frigiditatem somnũ posse inducere. Et hæc eadem quia insignis est, licèt siccitati iuncta sit, incrassat nihilominus. Cùm enim opium in multa quantitate eius cõpositionẽ ingrediatur, eius tanta vis est ab initio, vt euinci à reliquis non potuerit, quod postea tempore procedẽte euenit. Theriaca igitur vsque quo fermentata est, refrigerat strenuè & exiccat. A fermentatione vsque ad septimum & octauum annum excalefacit in primo: procedente deinde tempore vsque in finem, in secundo tertium versus. Perpetuò autem tertij ordinis exiccantiũ est. Hæ itaque sunt manifestæ theriacæ facultates, per quas alias eiusdem facultates secundas dictas ab his prouenientes cognoscimus protinus. Nam quo tempore refrigerandi vim possidet theriaca, eodem eandem incrassandi, reprimendique & adstringendi facultatem habere inde manifestũ fit, quòd ipsius frigiditatis effectus proprij sint hi. Cùm verò excalefaciens est, quia simul exiccat, attenuandi propterea, digerendi, dissecandi, & attrahendi, & discutiendi vires habet. Quę nanque siccitatem cum

caliditate

caliditate iuncta habet medicamēta: ea attenuare, digerere, dissecare, attrahere, ac discutere, Medicis omnibus Galenóq; præsertim receptū est iam diu. Cæterùm quia multa aromata continet hæc Antidotus, roborandi ideò vires habere dicitur: sit hoc quandoquidem aromatum omnium proprium. Hæc porrò omnia tanquam ex rei natura deducta, & ratione confirmata, à Galeno & aliis antiquis Medicis particulariùs fuere affirmata. Aperire theriacam, penetrare & attenuare scripsit Galenus lib. de theriaca ad Pison. cap 15. & 16. Eandem crassos humores dissecare & attenuare affirmauit Aetius tetrab. 4. serm. primo cap. 96. Et Actuarius lib. de spirit. animal. nutrit. cap. vltimo, per habitū digerere theriacam & attenuare scripsit. Roborandi facultatem huic eidem inesse loco dicto Galenus docuit, veluti & dissecandi, digerendi, & attenuandi. Abstergentem autem vim eidem idem tribuit lib. 2. ad Glauc. cap. 13. sed ab initio vigente hac in Antidoto Opij facultate refrigerante eam somnum inducere, incrassare, adstringere, reprimeréque hi omnes vno ore affirmarunt. Sed nec illud silentio hoc loco prætereūdum esse nobis visum est, quod ad omnes theriacæ facultates manifestandas pertinere videtur, & quod Galenus scripsit lib. de ther. ad Pison. cap. 15. & 16. eam scilicet hepati, lieni, cordíque præcipuè amicam esse, ad eiúsque morbos superandos peculiari quadam vi pollere. Ex his itaque enarratis theriacæ viribus eam per primas, secundas, & occultas quomodolibet qualitates agere manifestum est.

NVM SANITATI CONSERVANDÆ SIT APTA THERIACA.

Caput Secundum.

PORRÒ multiplices hasce theriacæ facultates morbis quamplurimis valenter occurrere, vt constans est ac certum, ita quoque ab antiquis Medicis omnibus ac singulis affirmatum: quod antequam vltrius explicare aggrediamur, illud priùs examinare præstiterit, quod tũ ad maiorem Antidoti laudem facit, tum etiam eius vtilitatem amplificat & ad perfectiorem tractationem attinet. Est hoc autem, An sanitatem ipsam conseruare sit apta nata theriaca. Quæ ad sanitatem conseruandam auxilio sunt, ea hominibus esse necessaria Galenus existimauit, lib. de cibis boni & mali succi cap. 4. Quin etiam vt nautæ honorificentius est in tempestatem non incidere, quàm eam euadere, nobis ita longè honorabilius esse hominem à morbo immunẽ seruare, quàm morbo oppressum sanare idem constituit. Magna eapropter medicamento admodum insigni ac pretioso fieret iniuria, si hæc eius virtus amplissima non patefieret, cùm præsertim non defuerint qui hanc sanitatis conseruandæ facultatem illi inesse negarunt, solósque morbos abigere illud posse contenderunt. Horum dux & antesignanus fuit Auerroes, suscepta ex industria aduersus Galenum & Auicennam in libro suo de theriaca in cap. 2. de re huiusmodi disputatione. Neque verò in dubium verti posse video eũ de theriaca tractatum Auerrois

rois genuinum esse, si ab eodem lib. 7. sui Colliget in cap. 2. ex professo adducitur. Sanitatis autem conseruandæ titulus generaliter hoc loco à nobis assumendus est, eiusdem præsertim Auerrois idē in dicta disputatione obseruantis occasione, prout nimirum vel in tutela hominis optima valetudine fruentis versatur, vel eius qui iam in morbū cadere paratus est defensionem suscipit. Qui verò optima valetudine frui dicitur, is vel eam perfectam habet & absolutam, vel ab optima parum declinantem: ille item qui verè adhuc non ægrotat, sed morbum habet in se in ipso, vt dicitur, fieri, nec lōgè est progressus: hi omnes sub titulo sanitatis conseruandæ continentur, qui communi nomine προφυλακτικὸς à Græcis appellatur: quib. omnibus modis theriacam sanitatem conseruare posse docere imprimis conabimur: quæ deinde aduersus hoc mordaciùs, vt sui moris est, ad Galenum aliósque Medicos carpendos Auerroes adduxit euertemus. Itaque incipiamus ab eo quod apud omnes est in confesso, & vbique citra controuersiam recipitur, theriacam scilicet, vbi rectum in vsum veniat, corpora nostra ita præmunire, vt si fortè fortuna vel ab animalibus mordeantur venenosis, vel alitercunque veneno aliquo interfici tententur, irrita hæc euadant omnia, præsentémque sanitatem vnà cum ipsa vita in optimo statu suo conseruet foueátque. Quòd ad venenosorum animalium morsus attinet, eorum nobis meminisse facile est, quæ in calce sermonis nostri prioris de theriacæ facultate exploranda ex Galeno & aliis antiquis adducta fuere:

qui nimirum hanc ebiberint optimam, eos à venenosis animalibus tametsi mordeantur, immunes nihilominus euadere & in pristino statu conseruari. Idipsum hisce carminibus testatus est Andromachus:

At qui calcati morsu serpentis anhelat,
Ignarúsve doli toxica nigra bibit.
Et cum mane nouũ, & cum se Sol abdidit undis,
Sumat ab æquali pondere, tutus erit.

Hæc quidem de euincendis præsentibus venenis cecinisse ille potuit, qui paucis antea de præseruatione à peste hunc in modum cecinerat:

Neu te dira lues, neu lædat noxius aër:
Hanc cape cùm primo est Sole reuecta dies.

At venenis intrò sumptis hanc eandem Antidotum miro quodam modo obuiam ire, eorúmque lethale virus irritum facere, Mithridatis historia à Galeno, in lib. de theriac. ad Pison. cap. 16. & ab eo qui primum librum de Antid. scripsit cap. primo, ad verbum hunc in modum scripta vel planè demonstrat. Nam & Mithridatem illum bellatorem magnum ferunt non assumpta theriaca, quæ nondum erat, sed alia quapiam multiformi antidoto Mithridatica de illius nomine dicta, non potuisse sumpto veneno mori: quoniam sic illius membra temperauerat, vt à re noxia pati non possent. Hoc autem contigit, quo tempore bellum cum Romanis gerens à Pompeio profligatus, atque in extrema fortuna constitutus, illæsus è vita decedere festinabat. Hausit itaque venenum & plus etiam quàm satis esset, ebibit, nec tamen ipse mori potuit: filias verò ipsius quæ cũ patre vitam finire

prorsus

prorſus decreuerant, atque ideò ex eodem quoq. veneno hauſerant, celeriter occubuiſſe tradunt. Mithridates igitur cùm mori tardaret, eò quòd Antidotus quam præſumpſerat venenum redderet irritum, vnũ ex amicis nomine Biſtocum, cui mandauit vt ſe iugularet, vocauit: is autem opus veneni ferro abſoluens Mithridatẽ violenta morte cõfecit. Eorum autem occaſione qui ad detrahendam ab eo libro Galenicam authoritatem fabuloſam eſſe dixerunt hiſtoriam, Plinij & Volaterrani teſtimonium de hiſtoriæ veritate adiiciendum eſt. Hic lib.17. Antropoph. ille lib. 23. nat. hiſt.cap.9. Mithridatem aſſeruerũt iuniorem, qui annis LVI. bellum cum Romanis varia geſſit victoria, poſt occupatam Aſiam, Q. Oppium & Aquileium in vincula cõiectos, Rhodum oppugnatam, Athenas per Archelaum præfectum occupatas, à Lucullo primùm, demum à Pompeio ſuperatum: poſtremò à Pharnace filio adoleſcente ingratiſſimo (quia à Patre ad Põpeium defecerat) bello petitum & obſeſſum venenũ hauſiſſe: quo nihil ad mortem, propter ſumptum Antidotum, cum proficeret, auxilio Galli cuiuſdã militis Vitigis nomine ſe interfecit. Profectò hæc eadẽ eſt Mithridatis à Galeno deſcripta hiſtoria, nulla in re præterquã in ſerui occidentis nomine diuerſa: quod quidem tanti non eſt, vt hiſtoriæ vniuerſæ fidem abrogare debeat: ſicuti nec eandm damnare par eſt, quia Mithridatem à Pompeio ſuperatum filiam nomine Diraptim Menophilo eunucho commiſiſſe ſeruandam in caſtello quodam Sinthorio nomine ſcripſerit Marcellinus libr. 16.

esse cùm possit, vt ex multis Mithridatis filiabus, aliæ propter obsidionem & amissam fortunam mori elegissent: Diraptis verò minimè, ideóque à Patre eunucho illi seruãda tradita est, qui eam ad mortem sibi ipsi dãdam cogere non poterat, minúsque debuerat. Ne verò violentæ eius mortis occasio in eo Rege, cui nomen Mithridati fuit, dubium vltrò faciat aliquod, nimirũ quia nimia quædam fuerit temeritas mortem sibi ipsi procurare, ad id animum adhibere oportet, quod ad eiusdem Mithridatis temeritatẽ ostendendã (quanquam eorum antiquorum qui sibi ipsis mortem consciuere plenę sint Historiæ) scripsit Fulgosius lib.9.cap.8. Nam cùm animo Asiæ Imperium cõcepisset, vt diligentiùs locorum situm inspiceret, ipse solus eam peragrauit, periculóque se obiecit, vt illuc seruus deduceretur, vbi Imperium quęrebat. Si quis autem historiæ huius medio Mithridaticæ confectionis vim non theriacæ nobis significari dixerit, ob ea præcipuè verba Galeni, quibus Mithridatis tempore nondum esse theriacam affirmauit, eum animaduertisse conueniet, Mithridaticæ confectionis vim ad maiorem theriacæ aduersus venena facultatem significandam Galenum eo loco recensuisse. Ante enim historiam illam hæc scripserat. Verùm vt summatim laudes huius Antidoti complectar, totum corpus ita disponit, vt ab vlla re noxia non corrũpatur (de theriaca autem loquebatur.) Hanc autem resistentiam procreat tam varia & efficax tot medicinarũ compositio, & præsertim quæ in ipsam ingrediuntur viperæ: Adiecta itaq. statim Mithridaticæ

daticæ compositionis historia, à minori ad maius argumentari hunc in modum vitus est voluisse Galenus. Si tanta est Mithridaticæ confectionis vis in corporibus aduersus venena muniẽdis, multò sanè maior erit hæc eadem in theriaca. Res hęc sic nobis à accipitur, ipsiq́ue theriacæ facultatem huiusmodi inesse eousque credimus, vt alia Galeni loca in quibus hoc idem etiam apertiùs enũtiat, tanquam omnibus in propatulo hic adducere omninò superfluum iudicemus: cùm præcipuè idem hoc ratio suadeat & confirmet certiùs. Qua enim ratione iam assumpta venena infringere potest pòst accepta theriaca, eadem certè nec prorsus dissimili priùs ebibita eorundem virus irritum facere potest. Si veneno iam in corpus introducto eam vim calori nostro naturali impertiri apta est theriaca, quæ venena ipsa vel ex toto euincat, vel è corpore celerrimè ac valenter extrudat propter maximam quam habet cum natura nostra conuenientiam: cur idem virium in nobis ante implantare non poterit? Id autem ab omnibus cùm antiquis, tum recentioribus Medicis affirmari videre est. At perfectã & absolutam sanitatem retinere conseruaréque theriacam posse nunc demonstremus. Quid causę fuit vt Pisonẽ optima sanitate fruentem, ad theriacæ vsum hortatus Galenus fuerit, in vltimis verbis libri de theriaca eidem scripti? Quoniam, dixit, compertum est theriacæ vsum tempus vitæ prorogare. At nõ alio nomine vitæ productio ab hoc medicamento expectanda est, quàm optima sanitate conseruata, quam solam ad vitæ longitudinem facere

nullus est qui ignoret. Id autem per occultam quandam vim præstare theriacam proximè præcedenti capite didicimus. Iam & hoc idem eidem Pisoni persuaserat idem Galenus, eiusdem libri cap.16. adducta duntaxat his verbis ratione, qua bonam sanitatem conseruare theriacam illi persuaderet: Quamobrem suadeo tibi Piso, vt partim ob has repentinas aeris mutationes, partim ob alias nocentium rerum causas, frequenter etiam sanus theriacam sumas, vt exteriùs occurrentibus noxis corpus tuum resistat, & si quando passum aliquid fuerit ad sanitatem reducatur. Rationem consilij reddit subinde hunc in modum: Nam theriaca optimam quandam temperaturam corporibus procurat, & in eis bonā valetudinem conseruat. Absumit enim humores superfluos, excalefacit membra refrigerata, corroborat naturalem virtutē, vt debitas actiones exercere queat. Nam quando fortis natura fuerit, tunc & venter expeditè cibos concoquit, & venæ sanguinem facilè producunt, & iecur promptè bilem secernit, atque ita defæcatū sanguinem cor suscipiens, ipsum deinceps vniuerso corpori iam nutriendo idoneum submittit. Excrementa quoque moderatè foras eadem propellit, & quæ corpori superflua sunt membrorum omnium perspiratione salubriter expellit. Hæc autem omnia & singula sanitatem in nobis conseruare, eiusdem Galeni doctrina fuit longo sermonis processu in libris de tuen. valet. demonstrata. Qui verò medicamentorum theriacam ingredientium vim particulariùs fuerit contemplatus, hæc omnia & singula præstare the-

re theriacam posse intelliget. Quin etiam hoc idem medicamentum, quod theriacam dicimus, ceu ignem quendam purificantem, illos qui sani adhuc ipsam biberint non permittere vt pestilentia capiantur, eodem Galenus docuit loco, ex Andromachi scilicet hisce carminibus:

Neu te dira lues, neu lædat noxius aër,
Hanc cape cùm primo est Sole reuecta dies.

Consilij huius sui huiusmodique virtutis theriacæ comprobationem habemus cap. 2. eiusdem libri manifestam, adducta nimirum M. Antonini Romani Imperatoris, theriaca pro corporis incolumitate conseruanda assiduè vtentis, consuetudine: Aliqui, inquit Galenus, singulis diebus incolumitate corporis ducti theriacam assumũt, quemadmodũ nos M. Antoninum, qui paulò ante Romanũ Imperium summa integritate administrauit, & corporis sui temperamentũ exacta prudentia cognouit, abundè quasi delicato cibo quodã vsum nouimus. Ab illo enim authoritas medicamẽto amplior creuit, cùm eius efficacia latiùs inter homines diuulgaretur: siquidem cùm Imperator vitam sanam traduceret, vtilitatis fidem Antidotus maiorem obtinebat. Hanc eandem theriacæ sanitatis conseruandæ vim qui librum de vsu ther. ad Pamphil. scripsit approbauit, adducta Romanorum Principum sui temporis medicamento huiusmodi huius effectus causa assiduè vtentium consuetudine. Rationem esse dixit, quòd sanguinem reddat bonũ theriaca: non quia malam eius qualitatem excernat: sed quia eius contumaciam vincat, & ex inimica amicã faciat. Iam & Aetius

tetrab.4.ſerm.1.cap.96.theriacam dixit, velut temperamentum quoddam & ſanam conſtitutionem corporibus inducere, redundantes humores abſumendo & refrigeratas partes concalefaciendo, inſuper & innatam facultatem corroborando ad naturales actiones probè obeundas. Sic & Paulus Aegin.lib.7.de re med.cap.11. pleróſque dixit etiam præſeruationis gratia theriacã ipſam accipere. Idem ſenſiſſe Auicennam certum eſt, qui libro de Viribus cordis tract. 2. cap. 4. maximum eſſe teſtatus eſt theriacæ iuuamentum in confortatione cordis, conſeruaréque ſanitatem atque ſecurũ hominem efficere à *malignitate* putrefactionum, & à prauis humorum motibus atque læſionibus obuiis venenorum, cunctáſque eius virtutes corroborare, & vitæ longitudinem ei præſtare. Similiter & Serapio tract.7.ſui breuiarij cap. 8.theriacæ iuuamentum in conſeruatione ſanitatis eſſe magnum affirmauit. Per hæc igitur idem hoc medicamentum nos ab imminentibus morbis præſeruare (quod fuit ſecundus ſanitatis conſeruandæ terminus) conſtat. Siquidem ſi ſuperfluos in nobis congeſtos humores abſumit, virtutem naturalem roborat, optimarúmq.eius actionum cauſa eſt opportuna, vt proximè ex Galeno didicimus, iã non eſt vt eam imminentes morbos arcere poſſe diffidamus. Id creditu dignius eſſe quiſque fatebitur, qui à Galeno aliiſque antiquis Medicis id particularius affirmatum fuiſſe intelliget. In lib. de ther.ad Piſon. in cap. 15. de podagricis theriaca vtentibus ſermone inſtituto, hæc inter alia Galenus ſcripſit: Maximè verò prodeſt quando

quando quis ipsam sanus adhuc frequenter accipit, idcirco quia superfluitates humorum consumit, & totius corporis temperamentum immutat: nam alia medicamenta quæcunque podagrici bibunt in remedium dolorum, fluxiones quidem ad pedes ferri prohibent: sed cùm superfluũ humorẽ non consumant, aliquam aliam maiorem ægritudinem excitant, & quæ sequuntur. Quibus verbis non imminenti tantùm podagræ theriacam occurrere Galenus testatus est, sed eã quoque, cùm in fieri est, ne ex toto fiat prohibere. Quid de imminente peste ille senserit, iam proximè audiuimus. Vniuersaliùs porrò locutus ille est, & morbis quibusque obuiam ire theriacã affirmauit, quando totum corpus eam ita disponere dixit, cap. 15. libri de ther. ad Pison. vt ab vlla re noxia non corrumpatur. Qui librum de vsu ther. ad Pamphil. scripsit: Nec solùm, inquit, ab instantibus morbis liberat, sed etiam ab imminentibus præseruat. Eũ autem laude censet digniorem, qui huius Antidoti auxilio impendentem morbum mauult anteuertere, quam iam vexantem abigere. Vt verò paucis omnia complectamur, idque quod per se manifestum est longiori sermone magis adhuc manifestare frustra nõ conemur, dicamus omnes morbos quos sanare apta nata est theriaca cùm præsentes sunt, eosdem imminentes impedire quoque posse. Quæ sanant auxilia, eadem & præcauere constans est ac vera apud Medicos omnes propositio, eo vel solo argumento confirmata, quòd sanguinis missione & purgatione veris tempore in vsum ductis eos morbos arcemus, quos

præsentes sanamus. Et mehercule in hac theriacæ ad sanitatem conseruandam facultate patefacienda paulò longiores fuimus Auerrois occasione, qui damnanda quadam aduersus Galenum & Auicennam hac in re est vsus perfidia. Etenim, cap. 2. sui tractatus de theriaca, aduersus eos pro sanitatis conseruatione theriacam laudantes pluribus inuectus est. Primò autem à venenis præseruare non posse theriacam, conatus est his argumentis persuadere. Theriaca, inquit, est medicina venenosa, hoc est, ex Alexipharmacorum genere, quæ ex Galeno lib. 5. de simpl. med. facult. media sunt inter medicinas & venenum. Quare si nutrimentum est id quod conseruat sanitatem perfectam, & medicina quę sanitatem lapsam: venena verò sunt quæ auferunt sanitatem, & medicinæ dominantes in theriaca sunt mediæ inter medicinas & venena, & omne compositum declinat in virtute sua versus latus medicinarum vincentium in compositione eius: videtur ergo quòd theriaca sit media inter medicinas & venena: & si est media, est fortior medicinis & debilior venenis: ergo non conseruabit sanitatem, quam conseruant medicinæ: nec curabit ægritudines, quas ipsæ curant: quoniam est fortior omnibus eis: & si conseruat sanitatem aliquam, erit sanitas illius, qui paratus est cadere in ægritudines humorum similium venenis: & si iterum curabit, non curabit nisi illam quæ ex illis est. Præterea subdit: si eius medio in corpus non operatur venenum, hoc aliter esse non potest, nisi quia factum illud est simile veneno.

no. Probat consequentiam: Id quod in alio non agit, est tale quale id proculdubio & ei simile, & res quæ in aliam agit est ei contraria: corpus igitur hominis illud in quo operatur venenum, vt veneno simile sit necesse est: At cum venenum sit contrarium corpori humano, sequitur manifestè quòd corpus hominis illius per vsum theriacæ factum est diuersum à corpore aliorum hominum. Sed quod est diuersum à corpore humano non est homo, illéque cuius complexio est diuersa à complexione aliorum hominum, non est possibile vt remaneat homo. Hic si remanebit, non remanebit, quin tempore pauco transacto redeat eius complexio ad complexionem illorum qui habent humores venenosos. Quòd si quis dixerit corpus hominis non pati ab operatione venenosorum, vt ab eis offendatur: nec ex hoc dicendum esse simile esse venenis: sed hoc fieri quia complexio illius est in vltimo contraria medicinarum venenosarum, & est fortior venenis in tantum quòd in ipso non operatur, & vincet homo venenum istud ita vt non vincatur ab ipso: Huic respondet Auerrois, quòd si sic est, videtur corpus hominis redire in hoc simile medicinis vincentibus venena: quare esset hoc corpus medium inter medicinas & venena, & ex consequenti non remaneret eius complexio in termino naturali. Ille autem qui permutatur à termino naturali permutatione huiusmodi possibile est vt corrumpatur, & hæc corruptio dubio procul ægritudo est. Subdit

deinde non aliud esse corpora assuefieri hisce medicinis mediis & venenosis, eò quòd dicitur à quibusdam inueniri aliquos, qui fuerunt vsi veneno in tantum quòd conuertebatur eis in nutrimentum: quæ res eius opinione egreditur viam naturæ. Neque de consuetudine artis medicæ esse inquit, vt res exerceantur in corporibus naturalibus, quæ egrediuntur viam naturalem. Si itaque (colligit tandem) theriacæ vsus facit ægrotare, ergo nec conseruat sanitatem, nec curat ægritudines. Cæterùm sumpto ab ipsa experientia argumento theriacæ vsum pro sanitate conseruanda vltro improbare nititur. Præcepi iam, inquit, sociis meis famosis in arte medicinæ qui curabant filios Regum, vt prohiberent eis vti theriaca in regimine sanitatis, & non vterentur ea continuè. Et quia non consenserunt mihi, damnificauerunt eos multum, quia continuare vsum theriacæ non est multum debitum in conseruatione sanitatis eius, cuius complexio est sicut complexio quæ reperta est vt plurimum in hominibus: & si sic est, nec etiam meliori complexioni quæ rarò reperitur, & est sicut statera ponderis aliarum. Sic etiam addit: non inuenimus complexionem, in qua generentur ægritudines similes venenis nisi parum, & si sic est totum quod dictum est, oportet quòd non vtatur aliquis theriaca in conseruatione sanitatis, quæ est reperta in pluribus hominum, & maximè in illis qui in eis sunt iuuenes: ista enim sanitas quæ secundùm plurimum est reperta in hominibus æquum est dicatur naturalis,

lis, quia res naturalis est in ea secundùm maiorem victoriam. Sanitas enim quæ est in fine perfectionis, non est inuenta nisi parum: & sic ægritudo quæ est in fine maliciæ non est repenta nisi parum: & hæ sunt duæ extremitates, quæ sibi inuicem contrariantur: & id quod est inter eas est medium, quod est inuentum secundùm plurimũ: & si sic, est hæc illa species sanitatis ad cuius conseruationem factæ sunt medicinæ, quæ ab ægritudine futura defendunt, & ad cuius etiam ægritudinis curationem factæ sunt medicinæ, quæ curant ægritudines, quæ secundùm plurimum reperiuntur in iis temporibus: quoniam medicinæ quibus curamus istas ægritudines sunt genera alia medicinarum à medicinis quibus curantur venena. Medicinę verò cum quibus curamus venena, sunt medicæ inter medicinas & venena. Et radix est, vt non vtatur medicus in curatione ægritudinum, medicinis cum quibus curantur venena: hæc enim genera medicinarum sunt in nomine & natura diuersa. Tot itaque argumentis theriacam ad sanitatis conseruationem ex vsu minimè esse, conatus est Auerroes conuincere. Vt tamen ipse sentio, malè id ille est assecutus. Quanquam enim maximus Philosophus Auerroes fuerit: in his tamen quæ ad medicinam pertinent sese acutum adeò aduersus Galenum præcipuè ostendere conatus est, vt ex industria eius dogmata insectari voluisse visus fuerit. Imò veritate contempta vnius contentionis causa, tanquam ex contradictione sibi gloriam parans, aduersus eum arma suscepit sæpissime: quapropter & sæpissime deceptus est, &

ab optimo veritatis tramite declinauit, ſicuti in hac de theriacæ ad valetudinem conſeruandam facultate diſputatione fecit. Etenim negante illo primò & ante omnia theriacæ facultatem ad diſponenda aduerſus venena corpora, experientiam ipſam, quæ ſenſus teſtimonio confirmari ſolet, & in qua non in multis modò, ſed in hac eadem de theriacæ facultate diſputatione ille confiſus eſt, negari certum eſt. At experientiæ medio Theriacæ vim huiuſmodi ineſſe, didiciſſe ac docuiſſe Galenum iam demonſtrauimus. Occultas medicamentorum proprietates, per quas venena miro quodam modo euincunt, ſola experientia deprehendi ac cognoſci eſt itidem demonſtratum. Quare certum cùm ſit hanc eandem theriacæ facultatem, quam hoc loco Auerroes impugnare contendit, experientiam commonſtraſſe confirmaſſéque: profectò rationes omnes in cõtrarium adductas nullius eſſe ponderis exiſtimamus, qui experientiam ipſam ſenſu confirmatam propter rationem relinquere ex præcepto Ariſtotelis minimè tenemur. Eſt tamen, vt arbitror maiori hac in re dignus reprehenſione Auerroes, qui ſibi ipſi nimiùm fiſus contentioniſque auidus multùm his fidere potuit argumentis, quæ rationem aduerſam habent. Itaque quod imprimis dixit, theriacam eſſe medicinam mediam inter medicinas & venena, vt Galenus dixit libro quinto de ſimplic. med. facult. id planè falſum eſt, quoniam medicamenta huiuſmodi quæ, quòd media ſint inter corpora patientia & deleteria medicamenta ac venena, dicuntur Alexipharmaca, non dixit Gale-

Galenus(vt in præcedenti proximo capite docuimus)esse media inter medicinas & venena : sed media inter corpus & medicamenta ipsa deleteria siue venena lædentia. Sunt autem eius verba in cap.12.dicti libri posita manifesta adeò & clara,vt nulla possint calliditate vel industria immutari, vel in diuersum sensum disthrahi. Præstat autem pro euidentiore Auerrois argumentationis euersione rationem in medium afferre, propter quam debuerunt esse Alexipharmaca eiusmodi mediæ naturæ. Primùm enim si haberent substantiam contrariam venenis & longissimè positā à substantia venenorū,essent ea nobis non minùs inimica quàm ipsa venena : nec proinde tutus esset eorum vsus in his præcipuè qui sani sunt. Ex parte igitur eis sunt similia & ex parte contraria : vt cum hoc quòd pugnare possint, facilem etiam habeant inter se commutationem. Præterea cùm à substantiæ proprietate agant Alexipharmaca , idem in eis obseruari rectum fuit, quod in aliis omnibus rebus quæ secundùm substantiæ modum sese alterant fit. Non enim pars illa corporis alterat eam sanguinis partem, quæ sibi dissimilima est, sed similem & congruentem : quando magnum substantiæ dissidium incommutabilitatem faciat,facilem verò commutationem substantiæ analogia. Alexeterium igitur est veneno analogum , non tamen venenum: quod quidē inde manifestius euadit,quia sine necessitate in vsum veniens noxium quidem est, vt alia medicamenta:non tamen lethale, vt venenū. Demonstrat hoc idem viperæ caro in ipsa the-

riacam vſurpata, vt ſua cum venenis conuenientia facultati ipſius theriacæ ad venena euincenda auxilio ſit, quemadmodum priore libro docuimus. Caput & cauda non modò quia excrementis abundent, ſed etiam quia maximè venenoſa ſunt abiiciuntur: retinetur caro, quæ mediam quandã habet naturam inter corpora & venena: quare & inculpatè à multis eſtur. Hæc ſi nihil analogiæ ad venena haberet, fruſtra fuiſſet ab Andromacho indita. Per hæc itaque tota corruit Auerrois argumentatio prima: ſanè verò vitioſa prorſus illa eſt, quia falſo nititur fundamento, theriacam nimirum eſſe mediam inter medicinas & venena, quando id non dixerit Galenus: ſed Alexipharmaca eſſe media inter naturam noſtram & venena. Malè igitur ratiocinabatur Auerroes. Si eſt media, ergo eſt fortior medicinis & debilior venenis. Eadem dicebat Galenus loco citato eſt proportio corporis ad facultatem Alexeteriam, quæ illius ad deleteriam: & rurſus deleterij ad Alexeterium, quæ Alexiterij ad corpus. Quapropter cùm mediam hanc naturam habeat theriaca, poſſe eã ſanare & præcauere eas ægritudines conſtat, quæ ſanare & præcauere poſſunt eam ingredientia medicamenta: omnia verò medicamenta quæ recipit, venena euincere & arcere priore libro oſtẽſum eſt: Theriaca igitur eandem habet facultatẽ. Cùm verò vltrò argumentabatur Auerroes: ſi theriacæ medio in corpus non operatur venenũ, hoc aliter eſſe non poteſt, niſi quia factum illud eſt ſimile veneno. Profectò falſum iecit fundamentum: quandoquidem per eam partem medicamen-

camentorum theriacam ingredientium, quæ venenosa est ad faciliorem quidem disponitur commutationem: sed venenorum euictio non ab his sed ab aliis medicamentis, sua natura veneno aduersantibus prouenit. Quapropter ex falso iacto fundamento, malè deinde hunc in modum ratiocinabatur. Id quod in alio nõ agit est tale quale id procul dubio & ei simile: & res quæ in aliam agit est ei contraria: corpus igitur hominis illud in quo non operatur venenum, vt veneno simile sit, necesse est. Maioris itaq. propositionis partem illam, quæ id quod in alio agit esse ei contrariũ statuit, tanquam verissimam, & Axioma quoddam admittimus. Eam verò quæ ex actione non consequẽte similitudinem colligit simpliciter verã minimè esse dicimus. Aliqua quidem non agunt interse quia similia sunt: aliquibus verò idem accidit, quia agẽti ipsi resistat validè quidpiam. Venenum non agit in corpore propter assumptam theriacam, quoniam resistendi facultatem est ei illa impertita: nec tamen propterea veneno simile factum est corpus: quod alioqui nec veneni operationes facit & suas proprias promptè edit. Quare si veneno simile factum non est corpus nec etiam est factum diuersum à corpore aliorum hominũ neq. non remansit homo, minúsque hominis cõplexionem exuit: quæ omnia ex falsa illa suppositione, colligebat Auerroes. Tantum itaque abest, vt qui theriaca aduersus venena sese muniuit pauco tempore transacto ad complexionem venenosorum humorũ perueniat: vt dubio procul contrariũ eueniat: isq. cùm aduersus venena tum

alios morbos probè munitus ſanitatem cõſeruet inculpatam. At ſubtilem aduerſus hoc habuit ille reſponſionem: Si non patitur, inquit, corpus à venenis, quia virtutem habet medicamentorum venena euincentium: igitur ſimile his medicamẽtis factum eſt, quæ cùm media ſint, ergo & illud medium, & ex conſequenti terminos naturales egreſſum eſt. Sed hæc quoq. eius reſponſio falſam habet ſuppoſitionem. Nam etſi theriaca aſſumpta corpus ad venena euincenda diſponit, & hanc vim in illud imprimit: ob id tamen ei ſimile minimè factum eſt: aut ſi factum eſt ei ſimile (hoc enim nunc ſubtiliùs non diſputo) non propterea terminum naturalem egreſſum eſt: tantúmque abeſt vt ex hac ſuſcepta diſpoſitione corruptionis & ægritudinis periculum illi immineat, vt potiùs ad his reſiſtendum vel maximè aptum euadat. Quod tandem dixit idem author: idem eſſe aliquem ſine noxa Alexipharmacis vti, & veneno edendo ſic aſſuefieri, vt tandem nutrimentum ab eo ſuſcipiat: nihili prorſus à nobis fit, qui ſimilitudinem hanc non admittimus. Sunt media inter corpus venenúmque Alexipharmaca, atque ſi in conuenienti quantitate aſſumuntur, non lædunt, nec aſſuetudine egent vt à corpore ſuſtineantur: quantóque tempore rectè accipiuntur, tanto probè ſuſtinentur: ſecus ac venenis accidat, quæ cùm ſua natura nobis ex toto inimica ſint, maximo egent tempore vt in aſſuetudinem ducantur. An verò poſſibilis ſit hæc venenorum aſſuetudo, per quam in nutrimentum illa tranſeant, quod Auerrois abſolutè negat

gat, particulariùs nunc non disputo. Multos tamen id vt possibile statuisse, re quoque exemplis illustrata legimus. Sed ad ea nunc veniamus argumenta, quibus theriacā pro sanitatis conseruatione minimè facere cōtendit Auerrois. Sanè verò eum hac in re ex toto decipi inde certum est, quòd si corpus excrementis vacare, & calorem naturalem ad suas obeundas actiones vigere, maximum ad sanitatem conseruandam est auxilium: hæc optimè cùm præstet theriaca, vt didicimus, eam quoque, vbi rectè in vsum venerit, sanitatem posse conseruare certum est. Sumpsit Auerrois argumentum ab experientia, séque sociis suis in arte Medicinæ famosis qui filiis Regum medicinam faciebant præcepisse inquit, vt in his theriaca non vterentur: qui non obtemperantes illis nocuerunt multùm. At experientiam cōtrarium suasisse didicimus, & Marcum Antoninum Imperatorem Romanum aliósque eius successores, Commodum, Verum & Pium, vsu theriacæ adiutos diuturnam sanitatem conseruasse intellexímus. Quare vel eos medicos non rectè vsos fuisse theriaca, vel Regum filiis adhuc pueris existentibus, quibus theriacam non conuenire postea intelligemus, exhibitam illam fuisse, vel etiam, vt ipse inquit Auerrois, iuuenibus oblatā fuisse, quibus haud ita liberè conceditur, dicendum est. Vtcunque sit, qui experientiæ confidit, is experientię vires fateri tenetur. Nobis autem multò maior fides danda Galeno est, per experientiam docenti, quàm Auerroi experientiam experientiæ opponenti. Neque adducere

inconueniens, ſolutionis vim habere poſſe ille idem admitteret. In faciunda medicina, libriſq. ad artem medicam pertinentibus conſcribendis bonam vitæ ſuæ partem Galenum conſumpſiſſe cõſtat: qualis autem medicus fuerit, & qua fide dignus iis omnibus notum eſt, quorum in manibus eius aſſiduè extant volumina. Auerroes autem maximus quidem fuit Philoſophus & de Peripatetica ſecta optimè meritus: ſed quæ ad medicinam pertinentia ſcripſit, acuminis ingenij ſui oſtẽtandi potiùs cauſa, quàm quod veritatis ſcopum ſibi propoſuiſſet attingendum, in medium attulit. Huius rei argumento eſſe illud poteſt quòd Galeni inſectatorem ſe vbique eſt profeſſus: omniáque & ſingula aduerſus eum inuecta, tanquam veritati ex diametro aduerſantia iampridem à viris clariſſimis extant confutata. Nos verò, non hac tantùm ratione ea reiicimus, quæ loco dicto contra Galenum theriacam pro ſanitate conſeruanda commendantem, adduxit: ſed etiam quoniam ſibi ipſi repugnantia hac in re ſcripſiſſe viſus fuerit. Primò nanque inquit, continuare vſum theriacæ non eſt multum debitum in cõſeruatione ſanitatis eius cuius complexio eſt ſicut complexio quæ reperta eſt, vt plurimum in hominibus. Quibus verbis vſum theriacæ, non abſolutè, ſed continuum tantùm, damnaſſe eum, clarum eſt. Paucis deinde interpoſitis, eundem abſolutè damnauit, his verbis: Et ſi ſic eſt totum quod dictum eſt, oportet quòd non vtatur aliquis theriaca in conſeruatione ſanitatis quæ eſt reperta in pluribus hominum:

num : Quòd neget ille idem non inueniri in quibus generentur ægritudines ſimiles venenis, eſt id quoque ex diametro aduerſus veritatem dictum, quando non Galeni tantùm ſed omnium Medicorum conſtans ſit ſententia, humores venenis ſimiles in nobis interim gigni. Non imus profectò inficias optimam illam complexionem quæ aliarum tanquam norma eſt & pondus, vel non dari, vel ſaltem rariſſimè inueniri : quemadmodum etiam complexionem in hominibus repertam, eſſe dicíque debere naturalem minimè negamus : ob id tamen theriacam huiuſmodi cõplexionis ſanitatem conſeruare non poſſe, quî ſequatur non videmus. Sanitas ſubdit ille, quæ in fine perfectionis non eſt inuenta niſi parum tranſeat. Et ſic ægritudo quę eſt in fine malitiæ non eſt reperta niſi parum : hoc abſurdè enuntiari dicimus : nam ægritudines venenoſæ & multæ malitiæ ſunt in hominibus frequentiſſimæ. Dari porrò inter has extremitates medium quoddam, eſſéque id ſpeciem illam ſanitatis ad cuius conſeruationem factæ ſunt medicinæ, quæ ab ægritudine futura defendũt, & ad cuius etiam ægritudinis curationem factæ ſunt medicinæ quæ curant ægritudines, quæ ſecundùm plurimum reperiuntur in iis temporibus lubet admittere. Admittimus item eidem medicinas quibus curamus iſtas ægritudines, eſſe genera alia medicinarum à medicinis quibus curantur venena, eſſéque hæc media inter corpus & venenum. Negamus tamen non poſſe Medicum vti in curatione ægritudinũ medicinis, cum quibus curantur venena, licèt ab aliis

ſint nomine & natura diuerſa: quæ totius ſuæ argumentationis concluſio fuit vniuerſalis. Alexipharmacis nanque poſſe pleroſque morbos ad venena nullatenus pertinentes extirpari, eſt Medico cuique res notiſſima, theriacæque innumeris ferè morbis minimè venenoſis vel maximè aduerſantis exemplo preſſiùs à nobis oſtendetur in ſequentibus. Sed quoniam ad morborum curationem hæc pertinent, non ad ſanitatis conſeruationem, de qua nobis hoc loco eſt ſermo inſtitutus, ad conuenientem propterea locum vt differatur conuenit.

QVIBVS VENENIS ADVERSETVR THERIACA.

Caput Tertium.

MORBOS omnes ac ſingulos enumeraturi, quos theriacam euincere poſſe & ratio ſuadet, & ſua authoritate antiqui Medici teſtati ſunt, ab ipſis venenis incipere non ea tãtùm ratione debuimus quia difficiliores pariant morbos, maioriſque propterea momenti eſſe videantur: ſed quoniam etiam Andromachus & Damocrates idem obſeruauerint. Is eapropter in his enumerandis erit à nobis ſeruandus ordo, quem præſertim ſeruauit Andromachus. Quamuis autem ſua potiſſimùm proprietate occulta venenis aduerſetur theriaca, vt pluries antea dictum eſt, cùm tamen etiam per euidentes ſuas qualitates eiſdem perſæpe occurrat, venenorum propterea natura rectè priùs explicata,

plicata:an,aliqua ratio ſit inueſtigabimus diligenter,propter quam ab ipſa theriaca ſuperentur,tutiorem hoc modo eius vſum futurum rati. Quæ primo loco enumerantur ab Andromacho venena, quibus theriaca tanquam Antidotus occurrit, illa ſunt quæ ſua frigiditate eximia occidere creduntur,his carminibus Latinis expreſſa:

Non ſi quis cupidis expreſſa Papauera labris
Hauſerit,extrium pocula ſumpia ferent:
Non ſi quis gelida compleuerit ora cicuta,
Si quis Hyoſcyamum,ſiue Aconita bibat.

Papaueris nomine appellatum ab omnibus Medicis Opium ſignificaſſe Andromachum ex eo conſtat vel manifeſtè, quòd ipſius Papaueris lachrymam eſſe Opium ab omnibus recipi in priore libro demonſtratum à nobis fuit. Neque verò difficultatem faciat Græcè legi, οὐδ' εἴ τις μήκωνα, &c. quoniam & ſi Meconium ab Opio in eo differat, quòd hoc papaueris lachryma ſit, illud ſuccus,vt ſcripto loco abundè demonſtratum eſt: eiuſdem tamen eſſe vtrunque facultatis & naturæ, quadam tantùm ſecundùm magis & minus inter ea exiſtente differentia, ibidem oſtenſum eſt, vt propterea Meconij quidem nomine metri cauſa Andromachum hoc loco vſum fuiſſe dicendum ſit: ſed & Opium quod eiuſdē omnino eſt facultatis ſubintellexiſſe. Hoc (de eo nunc loquimur, quod inter pleraſque eius ſpecies à Dioſcoride & Galeno enumeratas medicatiſſimum eſſe dictum eſt) ex quarto & vltimo refrigerantium ordine eſſe Galenus ſtatuit, lib. 6. de ſimpl. med. facult. cap.proprio, qui à Dioſcoride lib.4.cap.60. illud

idem nos lethargicos efficiendo interimere dubio procul didicerat. Nolim tamen veneni naturam ab eo separari, quia & ipsius plantæ semen in cibos & folia eiusdem ipsúmque Opium in morborum curationibus vtiliter sæpissimè Medicis vsurpari obseruatum sit: idémque à Dioscoride & Galeno locis dictis manifestum, quando non inconueniens sit eorum venenorum quæ non genere, sed copia nocent portionem aliquam non modò citra noxam, sed cum multa quoque vtilitate assumi. Eiusmodi esse venena omnia frigida apertè Galenus enuntiauit, lib. 5. de simpl. med. facult. cap. 19. eo ad rei huius confirmationem adducto exemplo, vt frigiditate occidentia venena in exigua quantitate sumpta mortem non adferant, non magis quàm si copiosæ flammæ pauxillum aquæ instilles, aut lignum iniicias humidum ac viride. Et quemadmodum nisi calorem inuenerint abundantem qui ea tum comminuat, tum ad cor vsque perducat, interficere nõ potuerũt: sic si quod comminuit ac deducit multò valentius fuerit, prorsum deuincet, mutabítque ac alimento vt sibi sit medicamentum efficiet. Quare & Dioscorides loco scripto, si copiosiùs hauriatur nocere, & lethargo inducto interimere scripsit. Id sine dubio respiciens Andromachus, quia scilicet aliquis interim volens assumat Opium, eius assumendi modum his carminibus explicauit:

Non si quis cupidis expressa papauera labris
Hauserit, exitium pocula sumpta ferent.

Quanquam etiam astu propinatum ad occidendum Opium, in potulentis vinóque pręsertim offerr

ferri ſoleat, quod item dictis carminibus comprehendi videre eſt. Eiuſdem omnino refrigerantis adeò facultatis, vt occidere apta nata ſint eſſe Cicutam Hyoſcyamum, & Aconitum, ex ordine poſt Opium ab Andromacho enumerata, non multum difficile eſt demonſtrare. Quòd ad Cicutam attinet, eſſe illam inter lethalia venena numerandam, ſuáque vi validè refrigerante necare docuit Dioſcorides lib. 4. cap. 74. Hunc ſecutus Galenus lib. 7. de ſimpl. med. facult. cap. proprio omnibus notum eſſe inquit quòd extremè refrigerantis ſit facultatis. Quare Valerio Maximo teſte lib. 2. cap. primo de Inſtit. antiq. apud Maſſilienſes, venenum cicuta compoſitum publicè cuſtodiebatur, eiſque offerebatur qui cauſas Sexcentis (id enim Senatus eius nomen eſt) exhibuerat, propter quas mors ſibi expetenda eſſet, ídque Græcos quoque feciſſe, & ab eis inſtitutum hoc peruenisſe ad alios ibidem teſtatus eſt. At ne per exẽpla amœnáque hiſtoriarum ſpacia luxuriosè nimis diuagari videamur vnius Socratis, ab Athenienſibus iniuſta de cauſa morti deſtinati, qui Cicutæ venenum in calice pacato animo hauſit, exemplum ſufficiat: adductis pro hiſtoriæ fide teſtibus, Cicerone lib. 2. Tuſcul. quæſt. Ouidio in Ibin, & Sabellico lib. primo ſuæ Hiſt. cap. 5. Simpliciter tamen facultas huiuſmodi Cicutæ tribuenda non eſt: ſed Dioſcoride magiſtro eius succo tãtùm contuſis cacuminibus expreſſo, priùs quàm ſemina & comę ſicceſcant. Succus hic eodem authore Dioſcoride ſub ſole denſatur in paſtillos, & ad Medicos vſus reſeruatur. Quare & ipſe ſola

quantitate occidit, vt Opium: quod idem de omnibus aliis venenis sua frigiditate occidentibus semel atque iterum enuntiasse nobis sufficiet. At Hyoscyami speciem illam cui semen atrum est, veluti & eam quæ semen mediocriter flauum habet, insaniam & soporem facere, & vtranque venenosam esse ac deleteriam docuit Galenus lib. 8. de simpl. med. facultatibus, cap. proprio. Pariter & Acconitum, siue illud sit quod Pardalianches multos appellasse Dioscorides admonet, lib. 4. cap. 72. siue illud quod Cynoctonon dici ille idẽ capite subsequenti docet, siue aliud qualecunque ex iis generibus quæ recentiores descripserunt, tantam frigiditatem habere vt homines enecare aptum sit illud argumento est, quòd Pantheras, Sues, Lupos & feras omnes in carnibus obiectum enecat. His omnibus venenis theriacam valenter admodum occurrere inde certum euadit, quòd vinum potens ac meracius eorum Antidotum esse præstantissimum Dioscorides, Galenus, aliique Medici antiqui omnes statuerunt. Theriaca igitur non ea tãtùm ratione, quòd excalefaciat insigniter, iis aduersatur venenis: sed quoniam etiam vini potentissimi multum continet. Si quis verò affirmauerit à proprietate quoque aduersus ea theriacam agere, profectò non repugnabo. At eam tantùm theriacam, quę duodecimum saltem excessit annum, huic vsui aptam esse eo quisque persuaderi poterit argumento, quòd primis à cõpositione annis, vigente adhuc in ea Opij facultate, refrigerat illa tantopere, vt obstupefaciat & somnum inducat, vt in calce prioris libri & in initio

tio ſecundi docuimus: à duodecimo anno excalefacit deinde non ſegniter theriaca. Ad ea poſtmodum accedit Andromachus venena, quæ vel ex animalibus, vel ex aliis rebus deſumpta & ingeſta ſua ſiccitate & caliditate occidunt:

Nõ ſi Cantharides, aut præſens morte venenum
Colchi tuum ſumat fruida Thapſe tuum.

Sanè verò Cantharides ſpeciem quandam ſcarabeorum eſſe, Dioſcoridis, Nicandri, & aliorum antiquorum teſtimonio conſtat. Earum vires mirificas, ſtatim ac corpus hominis introiuerint, veſicæ exulcerãdæ, tritiſſima Medicorum omnium atteſtatione ac obſeruatione affirmatas, non eſt vt hoc loco pluribus explicemus. Id vnum de eis affirmare par eſt (quod ad maiorem theriacæ vim aduerſus illas patefaciendã facit) aliter etiam corpori noſtro infenſas admodum & inimicas eas eſſe, vt vel celerrimè enecent. Nicander nanque in Alexipharmacis hæc de eis ſcripſit: Ne cantharidem fruges edentem, cuius odor liquidæ piceæ ſimilis, vllo pacto concipias potu: ſi quidem picea grauedine naſum trahit, dentibus id exiſtens quod nuper manducatæ cedri partes ſunt. Proinde ſi cantharides humida potione ſumantur, morſum in labio parant, aliàs circa extremum ventris os: aliàs & medius venter doloribus laceratur: veſica exulceratur, pectoris anguſtiæ hominem comprehendunt, tum ſtomachi & inteſtinorum. Porrò vehementer impatientes redduntur, ac alij mores hominem iam iam animo vacantem permutant, vt intentu iſto miſerè deploratéque pereat, inſtar cardui florũ, quia ppropinquante aura pro-

cellosa auolant: Has easdem paruuli huius animalis diras & immanes aduersus corpora nostra facultates cognouisse Dioscoridem, ex iis constat, quæ longo sermone de illis lib. 6. cap. primo scripsit. Longè breuiùs earum nocumenta nobis ob oculos Galenus posuit lib. 4. de simpl. med. facul. cap. 18. illas ex iis esse admonens quæ erosione aut putrefactione interimunt. Erosione itaque sua, vesicam quòd exulcerent verissimum est, putrefactione verò & cor & alias corporis principes partes afficiunt. Atque, vt ob extremam suam caliditatem & siccitatem erodere membra possunt & adurere: ita etiam ob peculiarem quandam naturæ contrarietatem nos afficere, nuper adducti eorundem effectus praui ostendunt. Porrò aduersus tantam feritatem occidendíque potentiam, Antidotum potentissimam qualis est theriaca, rectè Andromachum opposuisse dicimus. Est aduersus venena omnia & singula parata theriaca, vt proximè audiuimus. Antidota omnia longè omnium potentissimè auxiliari cõtra cantharides, cũ aqua mulsa proximè scripto loco docuit Dioscorides. Multa item continet theriaca quæ peculiari quadam virtute cantharidibus aduersantur. Vinum enim dulce liberalius his ebibendum suasit Dioscorides, qui cantharides hauserunt: at theriaca vinum continet Falernum dulce. Terræ samiæ quæ Aster appellatur vsum ille idem commendat. Terræ verò Lemniæ theriacã ingredientis qualitates, cum samiæ viribus esse propemodum similes satis certum est. Cantharidibus vesci viperas omnes dicunt antiqui: & hæ sunt quasi basis the-

ſis theriacæ. Vnicum contra ſcarabeos hoſce malignos eſſe antidotum pulegium Nicander conſtituit, illúdque ſuſcipit in compoſitione theriacæ. Hoc ſua caliditate & acrimonia cãtharidibus aduerſari ſi dixeris: theriacam eiuſdem facultatis eſſe demonſtratum eſt. Si ſpeciali quadam virtute & proprietate quia nimirum Alexipharmacum quoddam ſit, id agere pulegium volueris, quod & magis laudo, qui ſciam aduerſus venena omnia decãtatum fuiſſe pulegium vt Alexipharmacum, profectò hanc eandem vim theriacæ ineſſe, & Alexipharmaci nomine digniſſimam eam eſſe intelleximus. Nitrum ex hydromelite ſua vi abſtergente cantharides quæ ſtomacho adhuc aut inteſtinis adhærent, eluendo excernere ac deturbare docuit Dioſcorides. Nos pleráque abſtergentia & vim excretoriam habentia theriacam ingredi, priori noſtro ſermone didicimus. Quid plura? quam facultatem habent ad ſanandam veſicam cantharides, eandem ad ſanandam ab eis in veſica factam læſionem habet theriaca, eorum feritatem euincere apta. Cantharis, ſi ſola exhibeatur, dicebat Galenus lib. de ther. ad Piſon. cap. 10. veſicam exulcerat, & cum inimicam nobis facultatem obtineat, hominem plerunque necat. At ſi quibuſdã aliis miſceatur auxilium eidem veſicæ præbet, & vrinam maximopere prouocat. Hoc ex loco illud obiter colligi poſſe videtur, quæ genere necant venena eadem quantitate quoque nocere. Si enim cantharidum portio quædam non modò tutò, ſed etiam cum multa vtilitate aſſumi poteſt, profectò & eas quantitate enecare fateri conuenit.

Hoc ipsum manifestiùs apud Galenum legitur, lib.3.de simpl.med.facult. cap. 23. vbi cantharidis centesimam drachmæ particulam minimè nocere docet: cuius rei rationem ibi adiecit validissimam. Opus est enim,inquit,vt quicquid agit, etiam si sit valentissimum, aliquantam tamen & magnitudinem habeat: quando nimirum & ignis ipse si prorsum minimus sit,pręterquam quòd nõ vret,ne calefaciet quidem: quippe cùm & centesima scintillæ portiuncula sensu nobis sit imperceptibilis. Contrarium tamen statuisse nonnullis in locis visus est. Etenim 3. commentario in 3 Epidem.com.75. veneno, dixit, epoto lethali quidam postridie vel tertio die moriuntur, qualitate eius,non copia,mortem afferente.Hoc idem clariùs dixerat cap.19.lib.3. de simpl.med.facul.cuius verba eo in loco leguntur huiusmodi: Ergo eorum medicaminum quæ frigore interimunt nullum genere lethale est, sed sola quantitate. At in erodentibus & putrefacientibus atque excalefacientibus haud ita res se habet. Audiamus & quæ scripsit,lib.eiusdem operis.5.cap.19. hunc in modum: At sunt quæ tota essentia nobis contraria sunt: proinde si vel minimum eorum assumptum fuerit,omnino lædat necesse est, ceu Dryopteris, & Pityocampe,& thapsia,& Solanum manicum, & Hydrargyros & fungorum nonnulli, præterea saliua & fel venenatorum animalium: nam talia omnia genere sunt deleteria,non quantitate.Hãc eandem assertione iam antea habuerat lib. 3. cap. 22. his verbis: Putrefacientia autem etiam si quãtitate minima sumantur,omnino tamen corrumpunt,

punt: quia videlicet quæ putredini obnoxia ſunt, calore humiditatéque putreſcere ſolent. Manifeſta ea propter in Galeni verbis eſſe videtur controuerſia. Credidere autem aliqui eam Galeni ſententiam, qua calida venena euinci non poſſe affirmauit, non ita venire intelligendam, quaſi nullatenus poſſint alterari & corrigi: ſed quaſi non poſſint à noſtris partibus vinci, velut frigida, eatenus vt mutata nutriant: neque certè eatenus, vt omnino nihil lædant, neque excretione indigeant: ſed poſſint interiùs vtiliter immanere. His illud aduerſatur, eorúmque ſolutionem facit inanem, quòd dixerit Galenus, vt proximè audiuimus, putrefacientia venena etiam ſi in minima quantitate aſſumantur, omnino tamen corrumpere. Porrò nobis illud vt certum ſtatuendũ eſſe imprimis videtur, etiam quæ genere occidunt venena determinatam quandam quantitatem, ad hoc vt ſuo fungi poſſint munere, habere debere: quando hoc idem in Peripatetica diſciplina ſit tanquam Axioma: nonniſi à determinato quanto certas quaſdam actiones produci poſſe. Et tamen ſibi ipſi non cõtradicit Galenus, ſi rectè intelligatur. Venena frigidiora non nocent, niſi quantitate, non quia quantitas propriè noceat: ſed quia frigiditas niſi admodũ multa fuerit euincetur à calore noſtro eius contrario. At cùm multo quanto multa iungitur frigiditas, ea à calore non euicta occidit. In aliis autem quæ caliditate occidunt, quantumuis exigua fuerit eorum portio, cùm non euinci à calore poſſit (neque enim illis eſt contrarius) vt lædat neceſſe eſt: quòd verò non lædat

interim id per accidens euenire, Galenus idem docet lib.3. operis citati cap.22. Nempe aut quia vnà cum excrementis excernuntur priùs quàm iniuria corpus afficiant, aut ſicui accipienti bona faueat fortuna, videlicet aut cibis, aut quæ alioqui conferunt vtenti, aut Medicum qui curando præſit nacto: nam vbi grauis ab iis noxa illata eſt, malum neque victus ratione, neque generoſorum medicaminum, medicíque auxiliantis ope ſiſti poteſt. Subdit deinde. Quòd ſi prorſum exile ſit deleterium, nihil repugnat quominus illud quoque nihil perficiat, propterea quòd cum recremẽtis excerni poſſit aut idonea victus ratione ſuperari. Vt putà, ſi cantharidis centeſima drachmæ particula fuerit aſſumpta. Nam id priùs quàm noxam animali inferat, vnà cum vrinis excernetur: Et in fine capitis rem totam ſic concludit: Ex quibus patet quæcunque frigiditate interimunt, ſi paucula ſumantur nutrire corpus poſſe, velut lactucæ ſuccum: at quæ putrefaciendo erodendóque ea nunquam nutrire, ne ſi præ paruitate quidem innoxiè corpus permeent: genere nanque talia humanæ aduerſantur naturæ. Difficultatis igitur ſolutio eſt calida venena non quãtitate, ſed genere eſſe deleteria, quia minima quæque eorũ quantitas lædere apta nata eſt, niſi aliquo ex recitatis modis impediatur, vt verò occidat, determinatæ cuiuſdam quantitatis vt ſit oportet. Minima itaque omnino eorum quãtitas nullam læſionem faciet, ſicuti nec ſola ignis ſcintilla excalefaciet, pauca quantitas lædet, reſpectu præcipuè habito ad ea quæ frigiditate nocent, quæ multæ admodum

dum quantitatis ad nocendum vt ſint oportet, & in pauca quantitate nutriunt. Et his modis Galeni recitata loca omnia interpretamur. Ad rem itaque noſtram redeuntes theriacam, cuiuſcunque ætatis fuerit, cantharidibus aduerſari dicamus, quoniam, vt ex Dioſcoride veneni huius curationem inſtituente diſcere quiſque poteſt, his quæ à tota ſubſtantia agunt Alexipharmacis, tam frigidis quàm calidis, illud euincitur medicamentis. Colchi ſequitur ab aliquibus, vt Dioſcorides admonet lib. 4. cap. 76. Ephemeron dictum, à nonnullis agreſtis Bulbi nomine donatum. Ephemeron dici aiunt, quia vno die interimat, dixitque ideo Andromachus in ſuo carmine:

Aut præſens morte venenum
Colchi tuum ſumat.

Nomine autē regionis in qua naſcitur hanc herbam nominari eſt eodem loco author Dioſcorides, quia ſcilicet vt plurimùm in Meſſenia & Colchis naſcitur, dici ideò Colchicum teſtatus. Bulbi effigiem cùm habeat, ideò & antiquorum nonnullis agreſtis Bulbus dicebatur. Quare & eius imaginē ſe depinxiſſe Dioſcorides admonuit, ne fortè à quoquam imprudenter pro Bulbo deuoretur. An ſit hoc illud purgans medicamentum quod Hermodactyli nomine Arabes Medici appellarunt, præſentis non eſt inſtituti determinare: ſicuti nec eos lubet redarguere, qui venenum hoc eſſe cēſent arte confectū, à Barbaris Naphthā vocatum: quo qui vel inuncti fuerint, vel pallium ab eo delibutum geſſerint, ſi aduerſus Solem ſteterint, ceu igni inflammati abſumuntur. Venenum

hoc esse mortem offerens citissimè, Dioscoridi, Nicandro, Paulo, & Plinio sufficit credidisse: quanquam nec tota planta venenosa dicta est, sed radix tantùm eius Bulbi speciem referens, quam comestam fungorum more strangulando enecare enuntiauit Dioscorides loco assignato. Videas porrò Galenum lib.5.de simpl.med.facult.cap.19. (secus ac communiter ferè ab omnibus enuntiari hoc tempore audio) inter ea venena fungos enumerare, quæ tota essentia nobis contraria sunt: proindéque si vel minimum eorum assumptum fuerit, lædere. Is enim cum Dryopteri, Pityocampe, thapsia & Hydrargyto similes viribus fungos facit venenosos: hos quoque excalefacere quòd constituat dubio procul est. Neque est quòd in eo dubitationem quis ponat, quia dixerit Galenus fungorũ nonnullis inesse venenosum virus, quando nec fungos omnes venenosos esse & virulentos, sed quosdam tantùm & Dioscorides dixerit, & experientia in dies confirmet. Dices, arbitror, constituisse Galenum fungum frigidum & humidum lib.7.de simpl.med.fac.cap.proprio, illúmque harum facultatum medio occidere posse. Vt scias tamen conuenit, fungum & si frigidus sit, & cùm venenosus est interimat, non tamen frigiditate interimere: sed quibusdam partibus corrosiuis, quas admixtas habet, quando venenum in se continet, non aliter ac si succo lactucæ quidpiam Arsenici aut viperinæ saliuæ admisceres. Cæterùm hoc idem ratio & experientia confirmant. Qui enim à fungis occidũtur venenosis, non cum refrigeratione, stupore, aut sopore, vt qui à venenis

nis frigidis necantur, sed cum anxietatibus, vt qui à calidis intereunt, quemadmodum in Alexipharmacis Nicander scripsit. Ventriculum adhæc & intestina exulcerant nonnunquam, quod calidi eorum veneni certissimum est argumentum. Idem credas necesse est, si qua de causa fungum contingat esse venenosum consideraueris. Vel enim sua natura eiusmodi illum esse, vel ex accidenti scripsit Dioscorides. Propria natura talis est, qui lupi flatus & in lecto mingens dicitur: & qui ex arboribus sua natura venenosis enascitur, vt taxo & similibus. Ex accidenti verò is est deleterius fungus, qui prope clauos rubigine tinctos aut pannos marcore confectos, fimos putridos & serpentum latibula extuberat: quibus nominibus calidum virus fungis deleteriis inesse persuademur. Quandoque quidem & fungos veneno carentes occidere certum est: id tamen ea conditione Dioscoridis opinione aduenit, si largiùs multò quàm par sit assumantur. Adde nec tam citò tunc eos occidere, vt venenosos: quod animaduertisse ad rem nostram maximè facit. Colchi igitur venenum calidum est, si venenosi fungi instar strangulat. Etenim sumentem Dioscoridem à fungis occidentibus exemplum pro patefaciendo Colchidis veneno, de solis venenosis fungis licet interpretari, qui non quantitate occidunt, sed qualitate tantùm. Neque Colchicum ipsum vna die occidens cum iis fungis comparari potuit, qui sua tantùm quantitate strangulat, quando nec in tanta quantitate sumatur de more Colchi Bulbus: nec fungi ipsi quantitate sola occidentes celerri-

mè adeò interrimant. Cæterùm hoc idem Nicãdri de Colchico veneno in suis Alexipharmacis hunc in modum differentis authoritate licet cõfirmare: si Colchidis Medeæ infenium ignem, Ephemerum nimirũ, potu quis sumpserit, ab eo tùm labia humectata ineuitabili intus attritu læduntur, ceu albo ficus liquore vel aspera vrtica corpore perfrictus esset, vel scillæ seminali capite, quæ supra modum teneram carnem incendit: grauedo circa stomachum sedet, quem ad vomitum prouocat: deinde lethali vstione radicitus exulceratum reddit, vt perinde per ceruicem fœda eructet, egerátve; atque turbidum à carnibus liquorem coquus effudit: quin & aluus tetrica excrementa per inferna eiicit. Profectò hæc omnia calidissimi & maximè erodentis veneni sunt symptomata: cui eam nobilissimam Antidotum Andromachum summa ratione opposuisse dicendũ est, quæ venenis hisce calidissimis celerrimè occidentibus è diametro aduersatur & repugnat, potẽtisque adeò est & valida, vt ea è vestigio celerrimèque irrita faciat & inualida: quod alioqui & aliis argumentis liquet. Remedio huic veneno eadem esse docet Dioscorides, quæ fungis. His autem medicamenta tradidit in Antidotum calida & sicca, qualia nitrum, lixiuium cum arida muria, satureiæ aut origani iusculum, Gallinaceum fimum potum ex aceto, aut eiusdem delinctum cum melle multo, capite immediatè præcedenti. Quare & prouectam in ætate theriacam tantæ necessitati satisfacere posse certum est. Sed & eandem cùm refrigerare valdè apta est, calidiores veneni

neni istius vires retundere posse, est æquè manifestum. Hanc in propositi veneni curatione maiore dicimus dignam esse commendatione, quòd sua frigiditate fluxiones eius veneni sistere apta est, cui adstringentia medicamenta ad sæuientem dispergendum morbum pro optimo Alexipharmaco constituit Nicander. Hanc eandem antidotum thapsiæ vires eneruare, eámque ex toto euincere magna ratione potuit Andromachus determinasse: quando hæc quoque ex iis venenis sit, quæ caliditatem multam habent. Non est vt ad rem hanc demonstrandam multis vtamur argumentis, cùm adnotasse, sufficiat, veratro albo, Elaterio & nigro agarico similem fecisse Dioscoridem thapsiam lib. 6. cap. 33. Aliqua esse, inquit ibi, quæ etsi ferendi auxilij gratia tradantur, non minora tamen cæteris venenis pericula sæpius adferunt: qualia sunt, album Veratrum, thapsia, Elaterium, & Agaricum nigrum: hæc siquidem strangulatus concitant, aut immodicas deiectiones mouent. Quibus, subdit deinceps, ea medentur, quæ in fungorum mentione & similibus retulimus: fungis autem venenosis ea occurrere didicimus quę Colchi aduersantur. Quare si huic inimica est theriaca, igitur & thapsiæ. Posteaquam autem de venenis & quantitate & qualitate siue toto genere enecantibus locutus est Andromachus, ad ea transit protinus quę ex animalibus suo morsu lædentibus proueniunt, continentúrque ea his carminibus:

Arida non Dipsas, non clarus fraude Cerastes,
Non feret impresso, Vipera, dente necem.

In cassum cauda consurget Scorpius vnca,
Nec subitos luctus Aspis iniqua dabit.
Non Ptyas audebit, calido progressa cubili
Vt priùs aduersa, comminus ire via.
Nullus ob Hæmorrhi stillabit vulnera sanguis,
Nec tumidos faciet pressa Dryina pedes.
Claudere non cogent odiosa Phalangia summum
Concursu tremulo frigoribúsque diem.
Non Hydrus. Nec vbi terret Sol æquora Cancro
Cum petit arua minax, concitus atque furit,
Ora trahens multa Chersydrus cæde cruenta
Supremum vitæ ducet in exitium.
Hac fidens, æstu per rura vagabere, Cæsar,
In Libyco quamuis progrediare solo.
Nil oberit sicci tibi ruris alumna Rubeta,
Nil geminum tollens Amphisibæna caput.

Videamus nos itaque an aliqua ratio sit, per quam tot venenosorũ animalium morsibus theriacam aduersari Cæsarem admonuisse potuerit Andromachus. Sanè verò ea vna est (quanquam nobis obscura & imperceptibilis) iam antea adducta, vt sua essentiali forma occultáque proprietate venena omnia, quęcunque illa fuerint, infringat theriaca. Sed si quis naturam horum venenosorum animalium sciuerit, aut saltem eorum occidendi modum cognouerit, aliquid fortasse ratione media inueniet, idem pressiùs insinuans & manifestiùs. Accedat primo loco enumerata ab Andromacho Dipsas, non sine causa arida dicta: cuius proprium esse cùm dixerint Scriptores omnes, vt quem momorderit eum per sitim enecet, hoc idem significãte nomine ipso: potuit & arida vocari.

vocari. Videas propter ea & Nicãdrum in theriacis hæc de Dipsade scripsisse: Cor humanum ex huius morsu prorsum accenditur, ac arentia præ nimia siti labia siccantur: ipse verò ad instar tauri super fluuium hiando procumbẽs tam immenso potu sese replet, vsque dum vterus vmbilico facto grauius onus effuderit. Verùm an ex Aspidum genere vel potiùs viperæ quędam species sit, hoc loco determinare non cõuenit. Sufficiat tantùm ex hoc serpentis huius occidendi modo illud collegisse quod ad rem nostram facit, calidũ nimirum esse virus huiusmodi, quod tãtam támque inextinguibilem facit sitim. Quapropter non ea tantùm ratione ei occurrere theriacam dicere est, quòd omnia infringat venena, sed etiam quia Opium continet frigidum admodũ medicamentum, tantam caliditatem infringere valdè aptum, quod cùm primis huius antidoti annis maximopere adhuc vigeat, primis quoque annis nõ minùs ac aliis serpentis huius venenum euincere theriacam posse satis constat. Ne miremur, quæso, excalefacientem quoque theriacã ei veneno quod suâ caliditate occidit aduersari, quãdo acres cibos salsamentáque pręcipuè, & meracas potiones pro eiusmodi euincendo veneno ex industria commendauerint Dioscorides, Paulus & Actuarius. Huius rei admiratione motus magnus ille Alexander Aphrodisiensis, causam, proposito priùs problemate, quod in eo libro Problematum qui sub eius nomine circumfertur vltimũ est, reddere conatus est. Dico igitur, inquit, non qualitatis ratione sitim sedare theriacam, sed mutuo quodã

cõsensu ac ratione naturali. Id est, huiusmodi Antidotus, quæ plurimis ex herbis componitur, quæ consensum aliquem cum singulis corporis partibus habent, veluti Dictamnum cum corde, ipsum confirmãs & seruãs: Eupatorium verò cũ hepate: Scolopendrium cum liene: Petroselinũ cum ventriculi orificio: Hyssopus cum septo trãsuerso & pulmone: Helenium cũ Renibus: Ruta cũ collo: Gentiana cum cerebro: Seseli cum vesica vrinæ. Vnumquodque igitur horũ mellis dulcedine allectum trahit quod sibi proprium ad tutelam est, inter quæ omnia sunt & viperarum immixtæ carnes; quæ naturalem quendã mutuum affectũ habent, quam antipathiam dicunt, aduersus quoduis venenosum animal, corruptibilémq. virtutem. In singulas igitur partes distributa, affectum illum qui corruptionem minetur agere non sinunt. Repugnant enim ceu legitimi quidã milites, qui pro sua ipsorum patria arma cœperint. Hæc licèt vera sint, & ab acutissimo philosopho, qualis Alexander fuit, prodierint, nõ tamen ei quod per Problema perscrutandũ sibi ipsi proposuerat, quorũdam opinione, planè satisfit. Cur quos Dipsas momorderit, sitíque sint intolerabili affecti, eis epota theriaca quæ sicca est & calida sitim sedat, non autem magis incendit, quærẽdum instituit: rationémque reddit eam, qua theriacam membra omnia ad venena euincenda munire cõstat. At in hoc ipso, quòd theriacã membra omnia aduersus venena munire docet Alexander, quare etiam sitim sedet, docet manifestè. Hoc ex huiusmodi ratiocinio colligitur, ni fallor, apertè. Venenum illud est

est quod intolerabilem facit sitim: theriaca euincit venenum : hæc igitur euicta causa sitim extinguit. Non alia certè, sed prorsus simili ratione, ac obstructiones febrem facientes calidis medicamentis reserantes Medici, febrem ipsam, quæ calida passio est, extinguere dicimur. Atque hæc est ratio, qua theriacam huius serpentis veneno efficacissimè aduersari potuit Andromachus statuisse. Sed quæres, arbitror, quomodo? Priusquam tantum morbi genus, vt Dioscorides, Paulus & Actuarius testantur, emerserit: quo semel erumpente opem sic commorsis vlla Medici opera ferre nequit. Quapropter & execrandum & summè timendum esse venenum huiusmodi constat. Nos tamen Italos illud vel maximè hac in re solari potest, quòd Auicenna & Galeno testibus in Libya ferè tantùm sit serpentum istorum prouentus, ob eximiam regionis illius caliditatem & siccitatem. Cæterùm non assumptam tantummodo theriacam veneno huic aduersari certum est: sed extrinsecus quoque cataplasmatis instar loco cõmorso appositam, tanquã maximè attrahens medicamentũ, & iã ingressum in corpus virus ex alto euocans ac infringens. Quod ex his quæ de canis rabidi morsu euincendo dicemus deinde patefiet prorsus. Id autẽ quod ad omnium venenosorũ animalium morsus maximè valere ratio suadet, de hoc vno exẽpli & breuitatis causa hoc loco cõmonuisse sufficiat. Cerastes secundo loco positus est, qui cornua in fronte gestare cùm videatur, cornutus ideò à Latinis appellatus est. Is an idem cũ cerastali, cristali, triscali, Syrtalíque serpentibus

vocatis sit, nunc non disputo. Eius magnum esse in Africa prouentum scriptum est à Luciano in Dipsadibus. Quin & loca Libyæ mediterranea arenarum cumulis referta, quò plus vitę necessariis carent, eò variis magnísque serpentibus, iis præsertim quos Cerastas vocant, quorum morsus lethales habentur, abũdare scripsit Diodorus Siculus. Hunc serpentem arenæ colorem cùm habeat similem, à paucis propterea internosci, colorísq; errore seductos aliquos pedibus illos conculcantes vitæ periculum subire, idem Diodorus admonuit. Dici autem fraude clarũ hunc serpentem ab Andromacho, siue quia cornuum motu reliquo corpore occultato sollicitet ad se aues, vt credide runt Plinius, Isidorus & Solinus: vel, vt alij existimarunt, quoniam secundùm vias vt prætereuntibus insidias moliatur iacet: vel quia per obliquũ, non rectà properans incautos corripit homines, vt alij quidam dicunt: vel vt alij quoque, quia per orbitas rotarúmq. decurrentium vestigia sese occultans in se incidentẽ occidit, possit qui voluerit ad libitum credere & affirmare. Eius naturã maximè quidẽ venenosam esse in excessu calidã, ea, vt puto, ratione affirmauit Santes Ardoinus lib. de venenis cap. de Ceraste, quia eius morsum sympto mata insequantur calidum affectum connotantia. Dioscorides & Ægineta in mẽbro à Ceraste cõmorso sentiri quasi acum aut clauum infixum dicunt, corpus graue effici, & inflari labia, vertiginẽ superuenire, mentémque lædi: quæ omnia ab affectu calido produci manifestum prorsus est. Hoc idẽ ex iis demõstratur, quę de Cerastæ morsu scri-

psit

psit Nicander in theriacis, quando scilicet per tetricam puncturam quisquã fremuerit, clauo simile callosum tuber fieri, liuidos verò tumores instar bullarum imbris circa morsum proserpere, in duplici inguine & ambobus poplitibus assiduũ dolorem ali, pallidúmque colorem imprimi, laborantibúsque parum animi, modicum vigoris ex ea plaga relinqui. Quid itaque Andromachum mouere potuerit ad opponendam theriacam veneno huius serpentis, & qua de causa hoc illa præstare valeat, ea manifestum faciunt, quæ proximè de Dipsadis veneno per theriacam euincendo scripsimus. Sed ex his quoque quæ peculiariter aduersus Cerastæ morsum commendarunt antiqui Medici, eiusdem opinionem firmiùs confirmari posse animaduertimus. Remedia eadẽ quæ morsis à vipera conferunt, à Ceraste morsis conferre scripsit Aetius. At contra viperæ virus quid valeat theriaca proximè significabimus. Costum, Cassiam, & Cinnamomũ rectè per potionẽ assumi cùm Cerastes percussit, Celsus docuit. Castoreum & campestre Calamentum cum vino, tanquam optimum contra hoc venenum Antidotũ, commendauit Auicenna. Myrrham Plinius & Castoris testes laudauit. Sed hæc omnia & singula theriacam continere scimus. Post Cerasten posita fuit vipera, de cuius forma ac specie si aliqua hoc loco præfari conuenit, ea ex his quæ in priore nostro libro de viperinis trochiscis disserẽtes scripsimus sunt accipienda. Quod dixit Andromachus: *Non feret impresso vipera dente necem*: id ob eam causam dictum existimo, quo-

niam, vt Nicander in theriacis scripsit, nostræque ætatis serpentum inuestigatores affirmant, viperarum dentes in vesicula quadam latent non admodum longi, intra quam eos pro arbitrio cōdere ac promere possunt, & in qua humor continetur venenosus, quem simul cum morsu emittunt. Porrò de viperę veneno duo apud Scriptores in dubium verti animaduertimus: Frigidúmne an calidum illud sit, ánque ex his sit quæ cito, statim, longóve tempore interimunt: quorum determinatio ad præsens institutum facere maximè videtur. Galenus dux noster & antesignanus, libri secundi de locis patientibus cap. vltimo, omnia animalia quæ frigidi sunt temperamenti hyeme se in latebras recipere scripsit, quæ eadem scripsit Aristoteles lib. 8. de hist. animal. cap. 4. & propterea tunc temporis viperas ferè extare immobiles adnotauit. Quæ verò à viperæ morsu sentitur corporis grauitas & torpēdo vnà cum vertigine insurgente, & coloris liuiditate, quemadmodum Nicander in theriacis cap. de vipera docuit, frigidi effectus euidens signum esse videtur. Quod inde quoque confirmatur magis, quòd serpentes omnes frigida natura esse crediderint nonnulli. Qui hanc tenent sententiam, habent quem adducant Plinium lib. 10. Nat. Hist. cap. 72. Serpentibus neque calorem, neque sanguinem, neque sudorem inesse scribētem. Quod dixit lib. 1. de Antidot. author cap. 5. omnes medicinas, quas serpentibus aduersari lōga experiētia cōpertū est, amaras esse, eiusdem rei argumentū est non vulgare: calida cùm sint quæcunque amara, frigidíſq;

propterea

propterea inimica. Argumentantur & aliqui non inaniter in huius opinionis fauorem, & ſerpētum omnium frigidam eſſe naturam, eorúmque venena conſequenter talia eſſe cōtendunt. Omnes, inquiunt primo loco, qui venenantur à ſerpentibus, frigore quodam mirifico ſtatim tentantur. Deinde ſi latent hæc animalia hyemis tempore quatuor menſium ſpacio toto, vt ex Galeno & Ariſtotele dictum eſt, id non alia de cauſa fieri poteſt: niſi quia frigido cùm conſtent temperamēto ambientis frigiditatem ſuſtinere nullo pacto poſſunt. Addunt, ſerpentis media æſtate manibus tractatos frigidos ſeſe oſtendere; quod in iis potiſſimùm cōſpici Iacob. Greuinus lib. 1. de Venenis eiuſdem numeri cap. teſtatus eſt, quos Gallia eius patria producit, adductó duntaxat ſui ipſius teſtimonio, qui cùm aliquando ſub finem menſis Iulij febre ardente correptus decumberet, amicus eius quidam, vt à maximo æſtu, quem in manibus perſentiebat, eum liberaret, Serpētem inſigni magnitudine & longitudine obtulit, quem perpetuò inſtar glaciei frigidum eſſe ſentiebat: etiamſi eū continuè manibus tractaret, & in lecto voluens & reuoluens illum calefacere conaretur. Dicunt præterea, exanguia ſua natura animalia, vt ſerpentes ſunt, neceſſariò frigida eſſe. Etenim ſi quodcūque dicitur calidum, frigidum, humidum aut ſiccum, collatione ad id facta quod toto genere temperatum eſt, ſitque homo inter animalia maximè temperatus, minus ſanguinis cùm habeant ſerpentes quàm homo, frigidiores illo dici dubio procul debent. Quin etiam, ſubdunt, ſerpentum caro

dura adeò est & densa, ac tam solida vt hoc vno argumento eorum frigiditas abundè patefiat. Parum item bibunt serpentes, & è contra voraces sunt: quæ frigidi temperamenti signa esse Medici constituerunt. Toto adhæc eo tempore, quo latitant in cauernis, à cibo abstinent, eorum carne & pinguedine in nutrimentum conuersa: quod de aliis animalibus sua natura frigidis tempore frigidiore sine cibo latitantibus medici quique & philosophi vno ore affirmant: Viperam igitur hyeme latitantem frigidum serpentem esse volunt. His itaque ac similibus freti rationibus, serpentum omnium, è quorum numero Vipera est, frigidam esse naturã, eorúmq. venena eiusmodi pariter esse liberè omninò enuntiant: eos qui secus sentiunt deridentes. Non sunt tamen hi deridendi, neque tam de facili refutandi, qui multa & ipsi contrarium attestantia habeant. Petrus enim Andreas Matthiolus, de medica materia optimè sine dubio meritus, contrarium asserit lib. 6. suorum in Dioscoridem commentariorum cap. 11. Sed desiderandum erat, virum alioqui eruditissimum tantam difficultatem planiùs dilucidasse, qui sola argumentorum contrarium suadentium solutione contentus fuit. Dicamus nos itaq, planissimum imprimis esse, nõnullorum serpentum virus esse calidum, idq. tanquam manifestissimum nullo argumento posse obscurari, aut in dubium duci. Quis est qui hoc neget in Dipsadis veneno tantã sitim faciente, vt inextinguibilis sit, eique succedat mors citissima? Profectò quæcunque statuatur huius animalis natura,

eius

eius venenum excalefacere certa res est prorsus. De Ceraste eadem est ratio, à cuius morsu calida pleraque symptomata excitari proximè audiuimus. Dryinam supra se transeuntium pedes excoriantem, quis frigidum venenum eiaculari dicere audebit? Est sanè excoriatio eum in modum facta, non excalefacientis modò, sed adurentis causæ effectus. Sed & Viperæ carnes constituit Galenus excalefacientes desiccantésque, lib. II. de simpl. med. facult. cap. proprio: atque eò calidiores & sicciores, quò in sicciori & calidiori captæ fuerint regione, aut iuxtà salsas aquas & nutritæ. Harum virus insigniter calidum esse ex his ostenditur, quæ commorsum ab eis hominem inuadere, docuit Nicander in theriacis: quæ quidem à sola calidiore causa excitari facilè erit cuique intelligere. Porrò, inquit Nicander è viperæ inflicta plaga, sanies, aliàs pinguedini similis, aliàs cruenta, interdum sine vllo colore conspicitur: sed quæ vlcus ipsum caro circundat germinans graui se offert tumore, interdum rubens túmque palàm liuida cernitur, quandoque etiam aquosum onus concipit, frequentes præterea bullæ, ceu vacui per igné tumores, perinde ac corpus igne sit ambustũ, in cute supernè ebulliunt illic subinde putredines circum circa accurrũt, aliæ quidem sorsim à vulnere, aliæ circa plagam veneno non dissimilem mortem edentes. Nescio sanè an caliditatis notæ possint desiderari planiores: ánq. clariùs viperarũ virus esse calidũ demonstrare Nicander potuerit: si præsertim ea quoque attendantur, quæ deinceps de hoc eodem veneno

tanquam re vehementer ignescente & totũ corpus exedente scripsit ille idem. Ea item qui leget, q̃ de Viperæ morsu ab Aetio & Actuario scripta sunt, longè plura coliiget argumenta earum veneni caliditatem significantia. Inter hæc autem velocitas penetrationis, flauities vniuerso corpori inducta, & mors cita præcipuum locum nobis habere videntur. Furit adhæc Vipera, Galeno magistro in lib. de ther. ad Pison. cap. 16. media æstate & sub cane ipso, crescente scilicet ob calidiorem aeris temperiem sui veneni caliditate. Scorpium adhæc & Viperam cõtrarij eorũ veneni causa sese mutuò interimere à multis dictũ est, & à plerisq. obseruatũ. Cùm igitur sese interimant mutuò, neq. à simili fiat passio, cõtrarij veneni causa id euenire dicendum est: scorpionis autem venenum frigidum esse constat: huic igitur calidum Viperę venenum exitio esse necesse est, & è contra. Scripsisse Galenum neminem fugit, lib. 11. de simpl. med. facult. cap. de Dracone marino, his qui à Vipera morsi sunt scorpium conuenire: quòd à contrario sensu idem vel maxime confirmat. Iam & Auicennæ, Viperarum venenum calidum esse nõ vno loco affirmantis testimonio idem confirmatur. Sat fuerit cap. 21. tract. 3. Fen. 6. libri 4. in exẽplum hic adnotasse. Celsus quoque lib. 6. de re med. cap. 27. serpentum venena omnia non esse frigida dixit. Cæterùm pro huius controuersiæ solutione id imprimis censemus adnotandum: aliud scilicet esse loqui de temperamento carnis serpentum, quatenus scilicet eorum corpora carne, sanguine, ossibus & pelle constant: aliud de

eorum

eorum veneno. Atque quodcunque ſtatueris eſſe generale ſerpentum temperamentum, ſiue frigidum, ſiue calidum, inconueniens minimè eſſe dicimus, frigidos ſua natura ſerpentes venenum habere calidum. Conſiſtere venenum in quodam ſubtiliore ſerpentum humore ſiue ichore, ſiue excremento (quomodolibet illud appellaueris, non multi facio) planius eſt, quàm vt demonſtrari debeat, celerrima eius actione id manifeſtante. Id autem in animali frigido gigni poſſe calidũ, negari quì poſſit minimè video: ſi præcipuè Plinio ipſi ſerpentũ virus in felle contineri aſſerenti lib. 11. cap. 37. credendum nobis eſt. Nónne videre eſt frigidioris temperamenti animalia pleraque calidiores quaſdam internas partes habere, & in multis miras quaſdam & reconditas res reperiri, quarum cauſam ignoramus. Legãtur Plinius, Albertus Magnus, Ariſtoteles & quotquot de Natura animalium ſcripſerunt, innumeráque harum rerum inuenientur exempla. Quòd ſi etiam nulla alia eſſet ratio, quæ id nobis perſuadere poſſet, effectus ſanè ipſi euidentes caliditatem horum venenorũ inſequentes, ratione relicta ſenſum ipſum id apertè commonſtrantem inſequendum nobis eſſe perſuadere deberent. Quòd ſi vera ſunt quæ de fungi veneno paucis ab hinc ex Galeno adducta ſunt, iam non eſt, vt in re ſua natura frigidiore calidum venenum contineri ampliùs dubitemus. Ab his verò qui ſecus ſentiunt ratio deducenda erat firma ſtabiliſque, per quam à frigido veneno calidiſſimos effectus illos, quos audiuimus, prouenire poſſe doceremur. Id vnũ ſufficere ſibi ipſis

persuadere potuerunt, vt frigidam esse serpentum temperiem ac naturam ostenderent, quod neque etiam ita demonstrarunt siue confirmarunt, quin multis argumentis possit infringi. Quanquam enim verum sit, omnia animalia temperamento frigidiore exhistentia per hyemen in latebras se recōdere, vt locis adductis Aristoteles & Galenus docuerunt: non propterea animalia quæque se in latebras hyeme recipientia esse frigida constituerunt. Vespa, nāque quam calidi esse temperamēti fatetur quisquelhyeme se in latebras recipit & tanquam mortua degit: quo vel solo argumento vniuersalem aduersantium assertionem falsam ostendi posse sibi meritò persuasit Auicenna, loco proximè scripto: qui cum vltrò subdiderit non esse à veritate alienum reperiri serpentem complexione calidum, qui hyeme non moueatur propter contrarietatem complexionis naturalis, & propter illud quod accidet ei de rebus aliis, ad ea sine dubio confugere visus est, quæ in naturæ penetralibus arcana sunt & singularia, à nobis minimè neganda. Quàm mira in se habeant serpentes plerique, quæ cum suæ ipsorum naturæ aduersentur vix credibilia sunt, neque rationem habent vllam qua demonstrentur, apud eos legere est, qui de his rebus ex professo scripserunt. Quæ adducebantur secūdo loco morsuum serpentum effectus frigidos connotantia: ea, inquit Auicenna, propter caloris innati mortificationem à veneno factam eueniunt. Quapropter etiam si cōsiderentur attentiùs, mortis iam imminentis signa sunt manifesta, post alia quæ caliditatem multam habebant

bebant apparentia, quòd in his quoq. calidis morbis qui occidunt licet obseruare. Quod scripsit Plinius, serpentibus neque sanguinem neque calorem inesse, id absolutè accipiendum minimè est: sed serpentes pauco sanguine & calore abundare nos ille admonuit: quod etsi concedatur, non inde tamen sequitur omnes serpentes frigido esse temperamento, quomodocunque collationem facere lubeat, aut saltem aliquid internè calidum serpentes non habere non colligitur propterea. Sed nec ex eo quòd dixerit libi primi de Antidot. author cap. 5. omnes medicinas, quas longa experientia serpentibus aduersari compertum est, esse amaras, omne serpentum venenum frigidum esse colligi posse video, qui sciam attenuantia medicamenta, cuiusmodi sunt amara quæuis, in cuiuscunque veneni curatione pro sudoribus & vrinis proliciendis ab omnibus commendari. Frigore tentari statim eos qui à serpentibus mordentur, minimè negare ausim. Id tamen vel timoris vel calidæ nocentis causæ effectus est. Timorem totum corpus refrigerare, tam notũ est quàm quod notissimum, concentrato nimirum timoris causa natiuo calore: insignem autem esse timorem eorum qui à serpẽte morsi sunt, nullus nescit. Bilem præterea præternaturalem, quæ sine controuersia calida est & sicca, persensibiles corporis partes delatam rigores & frigora ab initio putridarum febrium inferre, cuique Medico notum esse scio. Calidum itaque venenum per easdem partes delatum idem efficere posse, non est, mea opinione, mirum. Neque etiam externam serpentum frigi-

ditatem eorum internæ frigiditatis argumentum adeò certum esse concedo, vt non possint etiam eorum aliqui caliditatem internam habere multam, si præcipuè coriũ & squamas habuerint duriores. Nec serpentes omnes id habere, vt ad tactũ media æstate sese frigidos ostendãt, aliquem qui id expertus fuerit vel audiui vel legi. Quòd respectu ad hominem habito serpentes omnes frigidi sint dicendi, tanquam longè minori sanguine & calore præditi, id quidem concesserim. Sed collatione inter seipsos facta alrquos dici non posse & non esse calidiores, hoc est quod nego. Etenim in quacũque animalium specie sexus præcipuè causa id reperiri certissimum est. Amphisbænam lõgè ante alias serpentes è latibulis exire & diuagari scribitur: quod non aliter fieri posse censeo, quàm quia sit illa aliis serpentibus minùs frigida, frigidioris aeris iniurias minùs timens. Quãquam etiã eos serpentes qui in Libya & locis arenosis ac calidis degunt, esse debere cæteris calidiores ratio suadet vel manifestè. Serpentũ pariter duram carnem & solidam eorum omnium frigiditatis argumentum minimè esse cõcedimus: quorundam siquidem molliores sunt carnes, vt viperæ, Cerastæ & Dipsadis: imò carnis soliditas vigentem quandoque calorem insequitur. Parum bibere serpentes & esse voraces, eius quidem eorum partis in qua cibi concoquuntur frigiditatis signum esse nonimus inficias: inde tamen totius eorum corporis frigiditatem argui negamus: siquidem & in hominibus ferè semper ventriculi frigiditati aliorum membrorum caliditas adiicitur insignis.

Quod

Quod desumebatur ab hiemali latitatione argumentum, minimè imprimis vniuersale est, propter vespas ipsas, quæ calidi sunt temperamenti, & tamen latitant hieme. Quin & inter os qui latitant serpẽtes minor aliquis & maior reperitur gradus frigiditatis, ita vt qui minorem habent frigiditatem aliis, calidiores possint appellari. Et denique quomodocunque frigidi statuantur serpentes eorum aliquos calidum habere venenum proximè demonstrauimus, fiétque illud magis in sequentibus manifestum. Quapropter etiam vbi viperas frigidas esse verum esset, calidum venenum eas eiaculari dicere possemus. At quæ de carnis viperarũ temperamento apparet in dictis Galeni contradictio, ea vt auferatur paulò plus diligentiæ requirit. Dicere possemus sua quidem natura frigidas esse viperas, si pręcipuè carnium illarum consistentia, color, & alia huiusmodi spectentur: quia tamen aliquid virulenti vt habeant necesse est, vt scripsit Galenus libro de theriaca ad Pison. cap. 10. excalefacientes ob id & exiccantes illas euadere, cùm virus illud calidum sit & siccum. Thomas à Veiga, cui inter recentiores Medicos scriptores multum ab omnibus tribui sentio, in expositione eius loci, qui ex lib. 2. de loc. patientibus exceptus est, controuersiam eum in modum dirimi posse censuit, vt aliud sit acrimonia & intensione caloris pollere: aliud copia innati calidi abundare. Quæcunque ergo, inquit, vel vtroque deficiunt, vt plantæ & exanguia animalcula, vel altero tantùm calidi genere, vt serpentes, hieme aut pereũt, aut torpent & quiescunt, habitu mortuis similli-

mo: eadem hæc accessu Solis florent vigéntque, quoniam quantum calore natiuo destituuntur, tantum Solis accessu reparant & perficiunt. Homo verò & quæcunque calore abundant aliter faciunt, & frigiditati hyemis resistunt. Profectò quæ & qualis esse debeat doctissimi huius Scriptoris hac in re commendatio, ex aliis malim audire, quàm temerario ausu quidpiam vltro de eius sententia determinare. Eóque magis quia viris clarissimis eam commendari ea ratione audiuerim, quoniam, quòd in latebris degant viperæ, id imbecillitati caloris naturalis tribuendum voluerunt, qui cum exilis sit, subterranea ob id quærunt tanquam calidiora: Solis calore adueniente viuificantur, & tanquã à proprio principio calor augmentum sumit: non negandum tamen dicunt in carne viperina & viperis, dum vigent & Sole viuificantur, carnes earum multa bile refectas esse aduentitio hoc calore acri & igneo, quo cùm virus iaculantur maximè refertæ sunt, & accidentia pariunt calorem per omnia præ se ferentia: caro etiã per se comesta dicũt, siticulosa est: id quod caliditatem & siccitatẽ ostendit, cùm sitis desiderium sit frigidi & humidi. Meam tãtùm & ipse opinionem in medium proferam, vt possint deinde qui rectiùs sentiunt de vtraque ad libitum determinare. In lib. 2. de loc. patientibus de naturali viperarum temperie locutus est Galenus, & hanc frigidam esse verè enuntiauit. At libr. 11. de simplic. med. facult. de carne viperæ ad vsum medicum parata sermonem habuit: cõdiendam autem eam ibidem docet anetho, sale & porro, oleo & aqua adiectis,

adiectis, per quæ excalefacientem exiccantémque vim suscipit. Hæc enim eius sunt verba: Nam viperarum carnes palàm videre est excalefacientes & exiccantes, vbi condiantur ceu anguillæ nempe oleo, sale, anetho, porro & aqua, seruato nimirum modo. Hæc eadem apud eundem leges lib. 2. ad Glauc. cap. 10. adducto quoque Marsorum eodem modo carnes viperarum parantium exemplo. Neque aliter paratas commendasse Dioscoridem & Aetium viperas videre est, cùm eius facultates ad cutaneos morbos profligandos nobis explicarunt. Et vbicunque Galenus aliorúmve antiquorum Medicorum quiuis alius de concoquendis ad vsum medicũ viperis locuti sunt, idem semper iusserunt. Dices, arbitror, viperas absque condimento comestas elephantiasim sanasse, vt eodem loco libri de simpl. med. facult. 11. recitatæ à Galeno historiæ testãtur. Est tamen vt animaduertas, eas viperas casu quodam in vino priùs periisse, à quo exiccantem & excalefacientem vim suscipere sine dubio potuerunt. At videre videor insurgentem alium, hæcque Galeni verba eodem loco scripta contra adducere: Sane viperarum caro adeò ingentem obtinet deficcandi facultatem, vt quidam qui eam edêre vehementissima cruciati sint siti. Ex quibus verbis, loquente scilicet Galeno de non condita viperarum carne, infringi videtur dicta solutio. Id autem & maioris esse momenti intelligo, quoniam viperarum quarundam salsam esse carnem ibidem dicat Galenus, earum inquam quæ prope salsas aquas degunt, quas neque ad esum, neque ad vsum medicamẽtorum

accipiendas esse suadet. At facilem hæc habent, mea opinione, responsionem. Non est imprimis quòd negemus viperarum carnes, quanquam frigidæ sint, exiccare: quo admisso nulla propterea in ipso Galeno admittitur contradictio. Difficultas enim tota circa caliditatem & frigiditatem versatur. Deinde de Dipsadibus id illum enũtiasse, facta ab eo à Marsis percontatio, eorúmque responsioni habita fides ostendunt manifestè: quod quidem in lib. primo de sympt. cau. cap. 7. explicauit clariùs. Quas verò viperas habere salsas carnes constituit, has non sua natura id habere, sed propter alimentum in salsis illis locis assumptum asserit: quod hæc eiusdem ibidem scripta verba docent: Nam quasdam esse viperas in iis quas memorabant regionibus, quibus salsa sit caro, vel maximè mihi videtur esse probabile. Scio enim cum cibis animalium mutari carnes, non tamen nullum esse genus viperarum Dipsadum pronuntiare valeam. Et hæc ad demonstrandam viperini veneni caliditatem satis sunto. An modò ex his sit venenum huiusmodi quæ statim breui longóve tempore occidunt, nunc paucis videamus. Viperas statim ac momorderint occidere nullus asseruit: longo tempore id euenire, omnes negant: breui igitur occidere venenum hoc ex necessitate sequitur. Breuius autem longiúsve tempus hoc euadit, iuxtà patientis dispositionem, & viperæ virulentiam. Citius moritur qui magis dispositus est ad patiendum: citiúsque occidit in locis siccioribus & calidioribus viuens vipera, veluti & in anni tempore calidiore: & potentior est mas ipsa

ipſa fœmina. Vtcunque ſit, mortem in horis ſeptem, &, cùm longiſſima eſt mora, tertia die in his qui non ſeruantur & maximè in ictis à fœmina vipera euenire ſcripſit Aetius. Sic & Arnaldus Villanouanus tridui ſpacium ad occidendum eidem tribuit, Auicennam ſecutus. Scio Petrum Andream Matthiolum & Amatum Luſitanum ruſticorum duorum hiſtorias ex oculata fide recitaſſe, qui ſtatim à vipera commorſi perierunt, in eóque iis credendum eſt. Sed celerrimæ adeò mortis occaſio fuit, quia commorſum locum ſtatim proprio ore exuxerunt, celerriméque ideò ad cor venenum tranſiit, quod in his qui tantùm commorſi ſunt minimè euenit. Nos viperas annis ſuperioribus ad theriacæ compoſitionem parantes, mediocris magnitudinis iuuenem canem & ſaniſſimum à vipera in naribus morderi ex induſtria permiſimus, qui horæ quadrantis ſpacio à morſu vires ſic amiſit, vt ſtare ampliùs non poſſet, tremulúſque factus & tumidus valdè vomitu & per ſedem multis eiectis excrementis tertia hora interiit. Itaque non ſine multa ratione veneno huic perniciosiſſimo theriacam Andromachus oppoſuit, qui primus, vt priore noſtro libro ex Galeno retulimus, viperinas carnes theriacæ admiſcuit: quò vel vnius huius medicamenti adiectione viperarum veneno magis reſiſtere apta eſſet. Nimius profectò eſſem & omnibus tædioſus, ſi aliorum antiquorum Medicorum loca hic citarem, in quibus theriacam aduerſus viperarum morſum commendant. Vnum tantùm adducamus Aetium, qui hominem à vipera com-

morsum, cuius corpus vniuersum prassini siue porracei coloris celerrimè effectum est, theriaca in potu exhibita breuissimè se sanasse scripsit serm. 2. Tetrab. 3. cap. 17. cui similis à Galeno descripta priùs fuit historia libr. 5. de loc. patien. cap. vltimo. Scorpius post viperam est ab Andromacho enumeratus, terrestris ille quidem, non marinus, ex insectorum genere nulli non notum animal, ac quasi familiare, in domorum partibus humidioribus vbique enascens, & in cuius caudæ extremitate vnus concauus aculeus, quandoque & duo sunt, quibus ferit, & venenum in vulnus ab ictu suo illatum effundit, sicque ideò de illo cecinit Andromachus:

Incassum cauda consurget Scorpius vnea.

Nimirum vt illius venenosam partem & nocendi modum nos doceret. Hoc animal, cuiuscunque speciei fuerit (octo enim sunt, si Nicandro credimus: nouem si Aeliano) siue etiam fuerit illud idem alatum siue alarũ expers, vtroque nanque modo esse scorpios posse credidit & Aristoteles: cùm per extremum illum suum acutissimũ aculeum hominem feriat, vbi nullum foramen est per quod venenum possit deiici: necesse est, dicebat Galenus lib. 3. de loc. patien. cap. 7. vt excogitemus substantiam quandam esse aut spiritalem, aut humidam, quæ vt mole minima ita facultate quàm maxima est. Hanc refrigerantis esse facultatis ex iis constat imprimis, quæ eum qui à Scorpione ictus fuerat, persensisse eodem ille loco scribit. Etenim, inquit, cùm nuper ictus quidam

dam esset à Scorpione, videor mihi videre, dicebat, quòd grandine percussus sim, erátque omnino frigidus, sudore etiam accedente frigido. Sed & lib.4. meth. med.cap. 3. scorpionis venenum frigidum esse, calidísque auxiliis infringendum, apertis verbis enuntiauit. Fortasséque Plinium ex Apollodoro dicentem Scorpionem fundere venenum candidum eum in modum interpretari conuenit, vt frigidum intellexerit venenum huiusmodi, cùm color candidus frigiditatis signum sit euidens. Sed & Nicander in theriacis de cuiuscunque scorpionis speciei ictu agens, hominem cùm primùm ictus fuerit frigere, persæpe etiam attonitum euadere tradit. Quin & à quarta scorpionis specie ictis tremores & frigora illico euenire, videríque acrem grandinem circumstare, etiam si Sol ardentissimis suis radiis flagret. Neque nos moueat, quòd quædam interim superuenire dicat symptomata, quæ caliditatem arguere videntur: sitim putà, & corporis in flammæ modum commotionem, tum quia non sunt hæc perpetua, nec cuique scorpionis speciei communia: tum etiam quia dissentaneum minimè est, & sitim & corporis dimotionem, imò & febrem à causa frigida excitari, vbi præsertim timor accesserit magnus, qualis in venenatis omnibus. Dioscorides propterea & ipse scorpionis ictum horroris sensu & tremore associari scripsit lib.6. cap. 44. Extremas quoque corporis partes refrigerari, inguina extolli, per sedem flatus exire, palloréque membra decolorari eodem loco docuit: quæ omnia insignioris cuiusdam frigiditatis

effectus sunt. Eos verò nulla capiet admiratio, quòd scripserit idem eiusdem capitis initio, scorpionis ictu statim incipere locum inflammari & indurescere, ac interdum rubere: neque propterea calidum esse venenum hoc existimabunt, quos non latuerit summè frigidam rem aliquam corpus contingentem primo statim occursu calorem quendam excitare, vt manibus hyemis tempore niuem contrectantibus accidit. Videas ob id ab huius animalis ictu simul cum inflammatione duritiem, quæ frigiditatis effectus est, exoriri. Cæterùm rem hanc totam sua oratione hunc in modum dilucidauit Aetius tetrab. quarta serm. primo capite decimonono: & quantumuis fuerint calida symptomata, frigidum nihilominus esse venenum, suis verbis demonstrauit: A scorpio percussos vehementissimus plagæ dolor consequitur, frigiditásque ac tensio, & stupor: circáque plagam & totum corpus frigidus sudor, & his qui iuxtà infernas partes percussi sunt inguina tumescunt: qui verò circa supernas, locus sub alis: & hæc quidem leuiter percussis adsunt, validiùs autem ictis ardor circa plagam adest, quemadmodũ in ambustis, & verucarum instar formicarum eruptio circa labra & totũ corpus, vt grandine se impeti putent: facies distorquetur, sordes circa oculos adsũt glutinosę, & lachrymæ viscosæ, durities accedit articulorũ, anúsq; procidit cũ egerẽdi cupiditate, spuma circa os est & vomitus largus, singultus, cõuulsiones opisthotonicis similes. Hæc voluimus omnia ad verbũ in mediũ afferre: tum vt Rasis & Auicẽnæ scorpio-

ſcorpionis parui ab eis Acatarati dicti venenum conſtituentium calidum error detegeretur: tum etiam ad eos recentiores coarguendos, qui ſcorpionibus ſylueſtribus calidum ineſſe venenum contendunt. Frigidum igitur eſſe ſcorpij venenum certum eſt: nocentius illud quidem in regione frigidiore. Frigido itaque veneno theriacam, quæ excalefaciens eſt Antidotus, præſentaneo eſſe auxilio ſummo conſilio ſtatuit Andromachus: quem deinde ſecuti ſunt Galenus, Aetius & alij omnes. Sed ſi tanquam excalefaciens medicamẽtum venenum iſtud euincit theriaca, à duodecimo igitur tantùm ſuæ compoſitionis anno eam ex vſu futuram dicendum eſt, quo tempore excalefacientem vim adepta eſt validam. Fortaſſe & ante duodecimũ annum, cùm refrigerantis adhuc eſt facultatis, theriacam veneno huic aduerſari eo argumento quis ſuſpicabitur, quòd tritum ſcorpionem, qui quidem frigidus eſt, loco læſo appoſitum eſſe remedio ſcripſerit Galenus lib. 11. de ſimpl. med. facult. cap. de Dracone marino. Sed licèt loco à ſcorpione icto ſumma cum vtilitate admoueri poſſe theriacam nos quoque exiſtimemus, non ea tamen ratione conducturam credimus, qua & ſcorpio tritus. Hic ſua quadam proprietate ſibi tantùm inſita id habet, vt ſui veneni virus euincat, quod theriacæ ineſſe nullus hucuſque cognouit: illa verò vt euocans & attrahens medicamentum proderit: neque id efficiet, niſi priùs excalefacientem fuerit adepta facultatem. Non repugno tamen prorſus quædam etiam frigida medicamenta venenum hoc euincere poſſe,

cùm eorum quædam ab antiquis ſcriptoribus cõmendari ſciã. Hæc autẽ non quatenus frigida, ſed qua peculiarem quandam vim aduerſus illud habeant, commendari dixerim. Ad Aſpidem, qui ſcorpionem in ordine inſequitur, noſtra nunc traducatur oratio. Eſt hoc quoq. animal ex iis ſerpentibus qui morſum habent lethiferum, tres habẽs, vt omnes dicunt, ſpecies: vnam quæ cherſæa ſiue terreſtris Aſpis dicitur: alteram quæ Chelidonia ſiue Hirundo appellatur: tertiam Ptydeã dictam. Andromachus autem generis nomine vſus in primis, vnam tantùm ſpeciem eius ſubinde enumerauit: vel quia non omnes ad vnum ſerpentes enumerare inſtituerat, ſed quaſdam tantùm in exemplum: aut etiam quoniam nomine generis duas alias ſpecies ſubintelligi voluerit: quod hoc loco in controuerſiam ducendum non eſt: quemadmodum etiã an aliæ ſint Aſpidum differentiæ: poſteaquam nõnullas alias ſerpentũ ſpecies à nõnullis antiquis ſub Aſpidis genere contineri affirmatum ſit. Generis autem nomine duas eius ſpecies intelligere potuit Andromachus, quoniam his omnibus ſpeciebus ſint ferè omnia communia, præcipuéq. lædendi modus, & læſionis effectus, excepta Ptyade, quã in hominẽ expuere dicunt, vt poſtea intelligemus. Videreitaq. eſt Dioſcoridem nomine Aſpidis, quod genus eſt, ſic vsũ fuiſſe lib. 6. ca. 54. vt nullius particularis meminerit ſpeciei, & de omnibus eadem prædicauerit. Quę cherſæa ſiue terreſtris nuncupatur, tale ob id nomẽ ſortita eſt, quia loca incolit mediterranea, ad differentiã Chelidoniæ dictæ ſiue aquatilis, quæ iuxtà Nili

ripas

ripas habitare dicitur. Earum virus frigidum esse, facile satis est ostēdere: Nicandri authoritate imprimis in theriacis somniculosam grauedinem Aspidem inducere ad monentis: Dioscoridis dein de testimonio adiecto, qui Aspidis venenū, quem admodū Basilisci, aut sanguinem bubulū, celerrimè in arteriis sanguinē cogere, docuit. Lucani ac cedant carmina, Aspidē somniferam constituētia;

Heu quæ prima caput mouit de puluere tabes
Aspida somniferam, tumida ceruice leuauit
Plenior huic sanguis, & crassi gutta veneni
Decidit, in nullo plus est serpente coactum.

Addamus & Aetium, sensuum hebetudinem, stuporem, frontis totius pallorem, refrigerationem, assiduos hiatus, capitis grauitatē & segnitiē ab Aspide ictos corripere docentē. Itaq. theriacā, excalefaciendi exiccandiq. vim adeptam, veneno huic opponere qua ratione potuerit Andromachus, ex iis satis constat, quæ hucusq. de aliis venenis dicta sunt. Illud tamen admonuisse præstiterit: vt sicuti ad omnia venena commendanda est theriaca, hāncq. statim per os exhibere, & exteriùs loco affecto admouere prudentis medici vbique fuerit: ita in hoc veneno omnia diligentiùs expeditiùsq. sunt exequenda, vtpotè quòd & celerrimè enecat, & locum cōmorsum difficile est videre. Aspidis morsum ob celeritatē occidendi remedio carere Aelianus existimauit. Hoc idē venenū. vbi sanguinem attigerit, aut recens vulnus statim non inueniatur, enerare subitò Plinius affirmauit. Olaus Magnus in sua Historia ante quatuor horas Aspidem suo morsu enecare scripsit.

A Galeno verò in lib.de ther.ad Pison.cap.8.hęc scripta sunt de Aspidibus: Nam re vera serpentes isti velociter interficiunt, sicut ego sæpe vidi in magna Alexandria. Cùm enim aliquem hoc supplicij genere condemnatum sine longo cruciatu dilationéque necare volunt, Aspides illorum pectoribus admouent, ambularéque parumper faciunt, atque sic ipsos breui perimunt. At ab Aspide ictis vulnus exiguum prorsus, quasi ab adacta acu, citra tumorem conspici author est Dioscorides, loco scripto. Aelianus quoque de Aspide verba faciens, morsuũ vestigia adeò leuiter apparentia eam imprimere scripsit, vt indicia vix acri oculorum acie deprehendantur. Cur verò sint tam obscura ignotaque causam hanc, inquit idẽ author, esse audio, quia ipsius venenum ad transmittendum peracutum sit, mirabilíque celeritate ad intima trãsitionem faciat. Cùm enim hæc ipsa morsum effecit, venenum non eminet circa superficiem, sed sub cutem subiens intra meatus penitus subit, atque sic ad intima delabitur, vt nihil extet atque emineat. Quare subdit. Ab Octauianis Cleopatræ mors non facile oculis comprehensa est, nisi tandem serò admodum ex duobus punctis difficilibus ad videndum animaduersis, mortis obscura significatio deprehensa est, & insuper vestigia Aspidis ipsius corporis tractus iis qui huiusmodi animalium motionis discrimina tenent manifesta apparuerunt. Cùm enim aduentante Augusto quænam sine acerbo doloris sensu mors esset, in conuiuio de circumstantibus Cleopatra exquireret, eam quæ gladio inferretur doloribus refer-

refertã esse, ex iis qui aliquod vulnus accepissent reperiebat: acerbam autem ex venenis & laboriosam: conuulsionem enim facere, & stomacho & cordi dolorem inurere: eam verò quæ ex Aspidis ictu afferretur, lenem & imbecillem esse. Porrò id eam fecisse ea de causa ab omnibus affirmatum video, ne mortuo Antonio marito ab Augusto in triumphum duceretur. Quapropter cùm eandem hanc historiam affirmet ad verbum Plutarchus, eo amplius adiecto, Cæsarem Psyllos veneficos qui serpentis venenum è vulneribus haustu reuocarent & exugerent frustrà admouisse, ideóque in triumpho Cleopatræ imaginem cũ Aspide affixa tulisse: sítque hæc eadem historia à Propertio confirmata lib. 3. his carminibus:

Fugisti tamen in tumidi vaga flumina Nili.
Accepêre tuæ Romula vincla domus.
Brachia spectani sacris admorsa colubris
Et trahere occultum membra saporis iter.

videtur propterea maximè cęcutisse Galenus in lib. de ther. ad Pison. cap. 8. qui hãc eandem Cleopatræ historiam ad Aspidis venenum ostendendum lethalissimum recensens, Cleopatram magnum primò ac profundum vulnus brachio suo dentibus intulisse, deinde venenum, quod priùs ex Aspide parauerat, in pyxide quadam ad se allatum vulneri intulisse, atque ita veneno corpus subeunte non multò post insciis custodibus vitam leniter finiuisse scripsit. Atque ex hac malè recensita historia damnandi libri & ab ipsius Galeni officina expungendi occasionem se se nactos fuisse opportunam aliqui existimarunt. Nos verò, quos

faciles adeò esse non decet in iis dãnandis libris, qui sub Galeni nomine magna cum vtilitate leguntur, & pleraque habent Galeni doctrinæ omnino cõsona, quæ in huius loci excusationem adduci posse animaduertimus hîc adscribemus. Postrema ea pars historiæ Cleopatræ quæ ab aliorũ historia differt tantopere, & quæ in Galeni scriptis dubitationem facit, ex mente aliorum, nõ ex ppria illius libri scriptoris quòd referatur ea verba apertè demonstrant, quæ ibidem hunc in modum scripta sunt: Qui verò nobis & mulieris ad fallẽdum sagacitatem, & Aspidis ad occidendum celeritatem verbis extollere volunt, Cleopatram inquiunt magnum primò ac profundum vulnus brachio suo dentibus intulisse, deinde venenum, &c. At alterã historiæ partem ex suamet sententia relatam in omnibus omnino etiam in nominibus Naeræ & Carmionis ancillarum, quibus ad maximum patrandũ facinus vsa fuit Cleopatra, & quæ mortem cum illa subire non sunt veritę, præcipuè conuenit. Sed fac totam historiam illius scriptoris fuisse, neque propterea Galenum suæ famæ notam subire dixerim, qui sciam Dionem Cassium lib. LI. Rom. histor. hæc de illius morte scripsisse: Quo mortis genere obierit, certum nemo nouit: puncturæ tantùm exiguæ in brachio eius repertæ sunt. Perhibent quidam eam in vrna illatã Aspidem, aut inter flores quosdam corpori suo adhibuisse. Alij acum ab ea qua capillum componere solita esset, veneno inunctam tradunt: cuius ea fuerit natura, vt cùm corpori alias nullum damnum iniungat, vbi primùm tamen sanguinem vel minimùm-

minimùm attigerit, mortem & celerrimã & absque omni dolore afferat. Hanc autem ab ea more suo in capite eatenus gestatam, tum detractam, brachióque in hoc sauciato sanguini immissam fuisse. Ad hunc igitur Cleopatra modum, aut certè minimè dissimili ratione, cum ancillis duabus mortua est. Nam Eunuchus simul atque Cleopatra capta fuit, serpentibus sese vltro mordendum prębuerat, morsúsque in foueam, præparatam sibi ad id, inciderat. Scio etiam Plutarchum in eo ab aliis differre, cùm scribat Cleopatram habuisse venenum in laminula quadam cõcaua, quam eum crine occultabat, & ancillas paulisper dominæ suę superstites Reginæ iam mortuæ coronam capite delapsam reposuisse. Nec inconueniens fuisse existimo, scribentem Pisoni Galenum Historias ab aliis scriptas, quomodocunque veræ illæ fuerint, suis scriptis ad hominem delectãdum immiscuisse. Modò quanam Aspidis specie vsa fuerit Cleopatra, nec facilè est determinare (quicquid de hac re dixerint plerique) nec ad veriorem historiæ significationem facit. Sed nimium fortasse in his diuagati ad eam Aspidis speciem redeamus, quã sub nomine Ptyadis Andromachũ ꝓposuisse legimus. Hæc, Plinio magistro, nomẽ huiusmodi sortita est, quoniã venenũ in oculos hominũ expuat. Quapꝓpter Galen⁹ lib. de ther. ad Pison. c. 8. hũc serpente, perinde ac si ratione præditus foret, æstimata interualli distãtia collũ eousq. extẽdere scripsit, vnde possit in iter facientes cõmodè venenum expuere. At Andromachi carmina hæc:

Non Ptyas audebit calido progressa cubili

Vt prius aduersa comminus ire via.

id procul dubio respiciunt, quod de serpente isto scripsit in theriacis Nicander hunc in modum: Illi iter recta è contrario fit, per longam semitam prolixa ventris deductione prolongationéque: refrigeratione pariter sua venenum huiusmodi occidere ab omnibus proditum est: & si Aetio hac in re tribuenda fides est, tardiùs Ptyas occidit, quàm duæ aliæ enarratæ Aspidum species. Mortem enim in tribus ad summum horis ex terrestris Aspidis morsu sequi ille scripsit. In Chelidoniæ verò ictu præsentissimam adesse. Tardiùs autem his qui à Ptyade morsi sunt. Huic veneno quanta cum ratione theriacā opposuerit Andromachus, ex iis constare credimus, quæ de aliis Aspidis speciebus proximè scripsimus. Id vnum hoc loco placet adiicere, quòd sicuti acetum maximè vincere valens est venenum huiusmodi, quemadmodum antiqui Medici omnes testati sunt, ita & theriaca. Credo, dicebat Celsus, acetum id virium habere, quoniam id quamuis refrigerandi vim possidet, tamen etiam facultatem dissipandi habet, quò fit vt terra respersa eo spumet. Eadem ergo vi verisimile est spissescentem intus humorē hominis ab eo discuti, & sic dari sanitatem. At quanta dissipandi vis theriacæ insit, & in superioribus à nobis dictum est, & in sequentibus fiet manifestius. Hæmorrhous deinceps positus est ab Andromacho, similem, vt inquit Galenus in lib. de ther. ad Pison. loco proximè scripto, suorum nominū significationi læsionem inducens. Nam qui demorius ab eo fuerit, sanguine per os, nares, & cor-

corpus vniuersum erũpente moritur. Dictus itaq. est Hæmorrhous ἀπὸ τοῦ αἵματος, id est, à sãguine, & τοῦ ῥεῖν, id est, à fluẽdo, ex quo intelligere nobis datur, cur hunc in modum cecinerit Andromachus,

Nullus ab Hæmorrhoi stillabit vulnere sanguis.

Calidum esse huius serpentis venenum licet cuique affirmare. Sanguinem enim ea ratione ex tot partibus celeriter illud mouere, facile est persuaderi, quia illum sua caliditate fundat & dissoluat. Nicander in theriacis: Hæmorrhoi ictui, inquit, statim decolor species accurrit, nigra nimirum, córque ipsum non leui dolore circumangitur, venter aqua refertus affluit (hoc autem antiquus Scholiastes interpretatus est, qui ictus est ab Hæmorrhoo aquæ plurimum bibit.) Quin & prima nocte sanguis cùm ex naribus tum collo & auribus salit recens bilioso veneno coinquinatus: lotium item rubens accurrit, quæq; in corpore sunt vulnera & plagæ Hæmorrhoi rũpuntur aperiuntúrq. cutes enim fuligine cõtrahũtur. Caueas itaq. imprimis ne fœmina Hæmorrhois inte virus suũ eiaculetur. Nã sicui morsum illa inflixerit, ei gingiuæ simul ignescunt, penitúsq; ex vnguibus sanguis cum impetu procurrit: dentes etiam ex ea cæde graue olentes seu humentes molunt. At omnes hos effectus siue omnia hęc symptomata causam habere calidam notius esse putó, quàm vt pluribus debeat demonstrari: poterítque ab eo qui voluerit rei huius confirmatio ex Dioscoridis lib. 6. cap. 50. peti. Quare & Santes Ardoinus serpentis huius naturam cõstituit calidam excessiuè & venenosam valdè: tanta itaque huius tam po-

tentis veneni euincendi difficultas est, vt à maiorum plerisque velut immedicabiles & omnino deplorati relinquerentur eo affecti, teste Dioscoride loco scripto. Quam verò ipse proposuit huius euincendi veneni methodum, eam Galenus, Aetius, Paulus, Oribasius & Auicenna confirmarunt: ita vt dãnandus non sit Andromachus, quia theriacam aduersus irremediabile venenum opposuerit. Qua enim ratione decocta vitis folia & cum melle trita morsum hunc sanare posse censuit Dioscorides, eadem & theriacam mel ipsum & opium magis refrigerans quàm vitis folia continens, idem posse fatendum est. Allium cum irino oleo idẽ posse, si per os sumatur, scripsit Paulus: tu verò eas theriacæ vires procul dubio tribues, quæ discutit vt allium, & ipsam continet iridem. Aetius sic commorsis cõfestim theriacam exhibet, & aqua frigida proluendam iubet plagã. Theriaca igitur in qua opij facultas adhuc viget, cùm internè assumpta, tum externè admota, summo erit ex vsu. Rem paucis perstringamus, dicamúsque in huius veneni curatione tã calida quàm frigida commendari medicamenta, ideóque cuiuscunque ætatis theriacam approbari. Sed quid hoc est quod cecinit Andromachus?

Nullus ob Hæmorrhoi stillabit vulnera sanguis. loquebatur sanè de venenis per theriacam euincendis, & huius serpẽtis morsu prima nocte protinus sanguinem è multis corporis partibus elicere didicimus. Dicendum est differentem de venenorum curatione Andromachum, eorundem præcautionem minimè exclusisse. Theriacam itaque

que sic corpora nostra munire existimauit Andromachus, vt ex serpentis huius morsu nullus è corpore effluere possit sanguis. Dicamus adhæc fluentem huius veneni causa sanguinem sumpta theriaca restringi. Dryinam subinde enumerat Andromachus, quæ ex serpentum genere ab omnibus statuitur, in quercuum radicibus viuens, à nonnullis, Nicandro admonente, Hydri & Chelydri nomine appellata, cuius naturam vehementissimè venenosam omnes constituunt. Calidam autem eam esse Ardoinus existimat, quod & per ea quæ producit symptomata significatur. Tam pestifera qualitate pręditam esse Dryinam Galenus, affirmat, lib. de ther. ad Pison. cap. 8. vt supra se transeuntium pedes excoriet: crura verò tota valdè tumefaciat: vtrunque autem ab insigni proficisci caliditate certum est. Excoriatio rei propemodum adurentis effectus dubio procul est: propter autem excitatũ inibi calorem adeò insignem humores ad eas partes in multa quantitate attrahi, obídque eas intumescere est vt quisque concedat. At maius est huius caliditatis argumentum, id quod eodem loco de eodem veneno prædicat Galenus admirandum: si quis, scilicet, ab hoc serpente commorsum curare velit, manus pelle mulctari. Subdit ibidem Galenus, si quis fortè Dryinam occidere contendat, putare omnia bene olentia malè olere, nec quicquam aliud olfacere insuper posse. Hoc ab ea huius serpentis conditione, quòd multorum testimonio malè oleat, prouenire, caliditatísque insignis argumentum esse dicimus. Grauem fœtorem ab eius corpore

exire, quemadmodum quando incurua nec non abrasa corij præsegmina sub teretibus ferramētis circa hūmentes equorum exuuias & pelles hument: author est Nicander in theriacis, quem secuti sunt alij plerique, Vergiliúsque præsertim lib. 7. Æneidos his carminibus:

Vipereo generi, & grauiter spirantibus Hydris
Spargere qui somnos cantúq; manúq; solebat.

Tanta ædepol est praui huius odoris efficacia, vt ab huiusmodi serpente ictum sua cute admodum malè olere eodem loco Nicander admonuerit. Odorem autem præsertim grauem esse caliditatis argumentum vnà cum Medicis & Philosophi constituerunt. Hoc eo promptiùs affirmare par est, quia frigidorum serpentum nullus id habeat. Sed certiora sunt veneni huius caliditatis argumenta, quòd circa partem commorsam surgere in acutum nigrum tumorem scripserit Nicander: taléque venenum semper depascere & consumere: affectum hominem eructare & vomere quid felli simile, aliàs & eruentum: ac siti corripi vehementi, quòd corporis siccitatem faciat & vomitum biliosum, vt scripsit Aetius: & quòd rabiem inducat, vt docuit Aelianus. Non ea igitur vna de causa theriacam aduersus venenum istud laudauit Andromachus, quoniam venena quælibet euincit: sed etiam quoniam Aristolochiam continet, quam peculiari quadam virtute à Dryino ictis opitulari docuit Dioscorides lib. 6. cap. 49. Quare si venenum spectes vt venenum est, cuiuscunque ætatis fuerit theriaca, optimum aduersus illud erit auxilium: hæc eadem cùm refri-

gerat,

gerat, eiusdem veneni caliditatem euincere apta est. Cæterùm Andromachi sententiam hanc,

Nec tumidos faciet pressa Dryina pedes,

tam de præcautione quàm de curatione huius veneni intelligendam esse dicimus, quemadmodum & de Hæmorrhoi morsu proximè dicebamus. Dryinæ succedunt deinde Phalangia. Numero plurali ob id vsum fuisse Andromachum constat, quia multæ sint Phalangiorum species, tres nimirum, si Aristoteli credendum est: sex, si Aetio: longè plures, si Nicandro. Hanc controuersiam quid opus est hoc loco dirimere, si vnus atque idē eorum omnium est nocendi modus, vt Dioscorides docuit lib. 6. cap. 42. De morsis, inquit, à Phalangiis, locus quidem ipse ab impacto quasi aculeo rubet non intumescens, nec per ambitum calidus est, sed mediocriter humescit: vbi verò contrariorum occursu refrixit, consequitur corpore toto tremor, distensiones poplitum & inguinum cōuulsionibus non dissimiles, in lumbis collectio exoritur & perpetua vrinæ libido lacessit: multáque reddendis excrementis colluctatio, vniuersa cute frigidus sudor emanat, collachrymant oculi, offusisque nebulis caligant. Ex hac Dioscoridis lectione non id tātùm colligimus, quòd vnus idémque omnium Phalangiorum nocendi modus sit, sed etiam frigidum esse eorundem venenum. Credemus id faciliùs eorum memores, quæ de Aspidis veneni qualitate diximus: confirmabimur in hac opinione magis, si remedia quæque huic veneno ab eodem ibidem opposita cùm excalefacere tam exiccare animaduerterimus. Idem

hoc innuit ſuis his carminibus Andromachus:

Claudere non cogent odioſa Phalangia ſummum
Concuſſu tremulo, frigoribúſq; diem.

Quare etiam quid cauſæ Andromachum mouere potuerit ad conſtituendam theriacam contra venenum hoc in Antidotum, ex iiſdem quæ de theriaca frigidum Aſpidis venenum euincente dicta ſunt manifeſtum eſt: longè verò manifeſtius, quoniam Ariſtolochiam, Aniſum, Chamæpitym, Apiúmque contra venenum iſtud ſtabiliuerit Dioſcorides, quæ omnia theriacæ compoſitionem ingredi ſcimus. Non eſſe autem ex Serpentum genere, ſed Aranei ſpecies quaſdam ipſa Phalangia, omnium eſt vna ſine controuerſia recepta ſententia. Quapropter ad Hydrum ſermo conuertendus eſt, cuius commemorationem quis fortaſſe iudicabit ſuperfluam, qui Dryinã & Hydrum vnam atque eandem eſſe rem proximè audiuit affirmari. Sanè verò facilem haberet hæc difficultas ſolutionem, ſi vera eſſet Iulij Scaligeri ſententia, in Exercit. aduerſus Cardanum 189. articul. 4. Hydrum quandiu aqua in lacunis eſt, perrarò exire aſſerentis, vbi defecit æſtu inuitũ Dryinam fieri. Sed non eſt vt viri alioqui doctiſſimi ſubtilem adeò determinationem vltrò examinemus diligentiùs, tum quia de ipſo Cherſydro hoc ab antiquis affirmatum fuiſſe legimus: tum etiam quoniam de ſerpentum natura tractationem integram minimè hoc loco profitemur. Dicamus igitur Nicandrum quidem aſſeruiſſe Dryinam ab aliquibus Hydrum appellari quoque, non tamen conſtituiſſe hæc eſſe eadem, cùm re vera diuerſa

res

res ſint Dioſcoride magiſtro. Hic poſt diligentem de Dryina tractationē cap. 49. lib. 6. habitam, de Hydro deinceps à Latinis Natrice dicto, cap. 51. diſſeruit. Si vtriuſque formam & habitationem ſpectes, tantam inter vtrunque diuerſitatem inuenies, vt vnum idémque animal eſſe minimè poſſint. Aquatilem ſerpentem eſſe Hydrū vno ōmnes ore affirmant: Dryinam verò in quercus radicibus viuere. Hęc, vt Aetius docuit tetrab. 4. ſerm. 1. cap. 24. eſt lōgitudinis duorum cubitorum, obeſa & aſperrimis ſquammis circa vniuerſum corpus munita: ille verò ſimilitudine eſt Aſpidis terreſtris paruæ: útque Leo Africanus docet, ſerpens eſt curtus, cauda tenui & circa collum gracilis, cuius venter ad cinereitatem declinat auream & dorſum viret aliquantulum, vt iam nullo alio argumento opus ſit ad horum ſerpentum diuerſitatem demonſtrandam: quapropter & rectè Andromachus vtrunque nominauit. Illud porrò cuique manifeſtum eſſe poteſt, paucam inter horum ſerpentum venenum cognouiſſe Dioſcoridem differētiam, qui vtrique eadem ferè aſſignat ſymptomata, iidémque ferè remediis vtrunque euinci docet. Quæ dicat de Dryino, legat apud eum qui voluerit lib. 6. cap. 44. At de Hydro eodem libro diſſerit cap. 51. Quare ad cōfirmandam Andromachi ſententiam, dum theriacam aduerſus Hydrum laudat, ea dubio procul ſufficient, quæ proximè de Dryina ſcripta ſunt. Maior eſt fortaſſe de Cherſydro difficultas, quem Hydro ipſi immediatè ſubiunxit Andromachus, & vtrunq; eſſe idē magnorū virorū fuit opinio. Græcus Nicādri

Scholiastes idem, dicebat, videtur Chersydrus serpẽs, quẽ Dioscorides Hydrũ, Romani Natricem appellant. Cælius Rodiginus: serpens, inquit, hic Chersydri appellationẽ inde habet, quòd in principio quidẽ in aquosis degit locis, & Hydrus appellatur: postea verò sicca incolit loca & compositũ Chersydri nomen inuenit. In terra itaq. degẽs Chersydrus appellatur, & tũ seipso sęuior redditur. Hãc eandẽ sententiã habuisse Auicennã cõstat, lib. 4. Fen. 6. tract. 1. c. 29. his verbis: Hunc serpentẽ cùm est in aqua nominãt Græci Andrius, & quando habitatio eius est in cãpo nominatur Kedusudurus: hoc autẽ nomine chersydrũ serpentẽ, Andri nomine Hydrũ significare Auicẽnã, ex effectibus eorũ ibi explicatis satis cõstat. Profectò pro hac è medio auferẽda difficultate multa hinc inde adducta fuisse scio, & à multis sedata est controuersia eo modo, vt diuersa quędã animalia sint Hydrus & Chersydrus, diuersis eius tãtùm consideratis habitationibus, aqua scilicet & terra: quasi voluerint vnum idémque animal diuersæ habitationis causa duplicem subire speciem. Nobis autem id minimè recipitur, qui sciamus ἀμφίβια animalia quædam sic à Græcis appellata, quòd partim in aquis, partim in terra degant, sub eadem specie ac differentia perpetuò contineri, neque eam mutationem suscipere, vt duorum diuersorum animalium vices subeant, quod in vitulo marino appellato videre datur. Non negamus vnum idémque animal mutata habitatione diuersitatis quidpiam suscipere posse: differentiam tamen eam adipisci, vt duo diuersa

diuersa dici possint animalia, non admittimus. Id ex Virgilio ipso colligitur, qui li. 3. Georgicorum de Chersydro verba faciens, illum propter mutatam habitationem à se ipso prorsus mutari minimè asserit, tametsi aliquam in seipso suscipiat mutationem. Carmina eius hæc sunt:

Est etiam ille malus Calabris in saltibus anguis,
Squammea conuoluens sublato pectore terga,
Atq; notis longam maculosus grandibus alnum.
Qui dum amnes illi rumpuntur fontibus, & dum
Vere madent vdo terræ ac pluuialibus Austris
Stagna colit, ripisq; habitans hic piscibus atram
Improbus ingluuiem ranisq. loquacibus explet.
Postquam exhausta palus, terræq; ardore dehiscunt
Exilit in siccum. & flammantia lumina torquẽs
Sæuit agris, aspérq. siti, atq. exterritus æstu.

At de Chersydro serpente locutum hoc loco fuisse Virgilium, eius hæc descripta natura viuendi in aqua & terra demonstrat imprimis, deinde quòd in Calabris saltibus illum viuere dixerit: sed Calabriam Chersydris frequentissimam esse testatus est Solinus. Videas itaque ex hac huius Poetæ historia illud quidem colligi, vt qui priùs in aquis viuebat serpens tempore veris, ille idem æstate vigente in terris degens sæuiat magis. Hócq. idem statuisse Nicandrum manifestum est: quod ad defendendum à superfluitate Andromachum satis est. Demus igitur Hydrum & Chersydrum idem esse, Hydrúmque dici, dum in aquis viuit, Chersydrum, cùm in terra: propter eam quam in se ipso suscipit mutationem vtroque nomine vti vo

luit, vt maiorem inde vtilitatem & Cæsar ipse (quod etiam ex carminibus proximè describendis patet) & post eum alij possent colligere. An fortè etiam Chersydri nomine serpentem hunc significare Andromachus voluit, siue in terris, siue in paludibus viuat: per Hydrum autem, serpentem marinum, de quo locutus est Solinus cap. 57. Equidem quæcunque fuerit probata magis difficultatis solutio, nobis nunc curæ esse non debet: quibus sufficit Chersydrum esse serpentem venenosum nouisse, cui theriacam opposuit Andromachus. Porrò veneni huius qualitatem rectè ille patefecit his carminibus:

----Nec vbi torrei sol æquora Cancro
Cùm petit arua minax, concitus atque furit,
Ora trahens multa Chersydrus cæde cruenta
Supremum vitæ ducet in exitium.

Cõcitatum itaq. sub cancro atque furentem serpentem calidioris cuiusdam temperamenti esse necesse est, cùm à similibus actio proueniat. Hoc per ea accidentia manifestius euadit, quæ suo morsu hic serpens inducit. Tota pellis, dicebat Nicander in theriacis, circum carnem arida & abominabilis expassa ab internis partibus. humentem ictum satis certò indicat, putredine fatiscens. Quin etiam dolores immensi igneiscentes hominem tandem interimunt, mox etiam per mẽbra pustulæ figuntur. Aetius dolorem ardentem vomitúmq. biliosum fœtidum addidit: locũ mor sum inflammari corrodíq. dixit Auicenna. Hæc omnia accidẽtia quicunq. paulò attentiùs considerauerit, calidissimam habere causam intelliget, quam

quã à theriaca refrigerãte infringi posse quæ huc usq. de aliis venenis dicta sunt abundè insinuant. Vnũ adducamus Aetiũ, theriacã aduersus serpẽtis huius morsum mirificè extollentem. Quę autem aduersus lethalissimum hoc venenum scripserunt auxilia Nicander, Dioscorides & Auicenna si quis consideraũerit, is Andromachũ magno consilio theriacã cõmendasse planè faciléq. intelliget. Rubetam tandem & Amphisbænã nominat Andromachus, quorum venena theriacã infringere Cæsarem docet. Esse Amphisbænã serpentẽ vermi terestri qui crassior sit magnitudine similem, sic appellatum quia vtrinq. gradiatur, hoc est, antrorsum & retrorsum incedat, vnus omnium de ea scribentium est consensus. An geminum habeat caput, cuique scilicet suæ extremitati affixum vnum, inter antiquos in controuersia positum hoc loco determinare non lubet, neq. ad id quod quærimus spectat. An verò venenosum sit, quod item in controuersiam ducitur, determinandum est. Quanquam enim Dioscorides lib. 6. cap. 48. Paulus libr. 5. cap. 13. & Actuarius lib. 6. meth. med. cap. vltimo, eius fuerint sententiæ, vt consimilia eueniant ex Amphisbænæ morsu, quæ vipera mordẽte eueniunt: Aetius tamẽ tetrab. 4. ser. primo cap. 30. scripsit, morsum Amphisbænæ obscurum esse, ac vix apparere veluti muscarũ pũcturas, quapropter etiam si mordeant non enecare: tamen videtur huic quadantenus fauere Nicãder, eius descriptionẽ qui habuit in Theriacis diligentẽ, déq. eius læsione ne verbum quidem habuit. Sed mirandũ esset tum Nicãdrum ipsum

tum etiam Dioſcoridem & alios inter ſerpentes Amphisbænam enumeraſſe, ſi venenoſa non eſſet, atque hanc eandem admirationem longè maiorem eſſe in Aetio conſtat, qui licèt venenum ab hoc animali ſeparare viſus ſit, inter animalia tamen venenoſa id & ipſe enumerauit. Nolim profectò tantum virum talémque facilis adeò erroris inſimulare: neque in Nicandri authoritatem inuehi illo pacto lubet, qui vtrunque a calumnia vindicari hac in re poſſe exiſtimem. Nicander enim Amphisbænæ ſymptomata reticere fortaſſe voluit, quia ipſe quoque ea viperinis ſimilia eſſe credidit, aut etiam quoniã ea exiſtimauit notiſſima: qui cùm poſt Amphibænæ hiſtoriam multa deſcripſerit auxilia, venenoſorum animaliũ morſibus communiter aduerſantia, huiuſce pariter animalis veneni rationem eum habuiſſe dicendum eſt. At pro Aetio illud ſtat, quòd eius partis ſui operis in qua de animali iſto verba facit, Græco caremus codice, cuius fortaſſis medio aliter eum ſenſiſſe intelligeremus. Calidum porrò eſſe huius ſerpentis venenum eo perſuaderi quisq. poteſt argumento, quòd, quia cum viperæ veneno conuenit, eadémq. vtrunq. producat ſymptomata, eiuſdem ideò ſunt qualitatis. Hoc à nonnullis inde quoque confirmari intelligo, quia prima omnium Amphibæna & antequam cicadæ canere incipiant è cauerna ſua proſilit, quod ſuæ caliditatis non inane eſt argumentum. Itaq. ſi conſimilia eueniunt ab Amphisbæna & à Vipera demorſis: iiſdem quoque, vt ſenſit Dioſcorides, adiuuantur auxiliis. Per ea igitur quæ de Vipera diximus,

diximus, cur veneno huic aduersari theriacam dixerit Andromachus, abũdè patet. Rubetam deinde, cuiuscunque speciei illa fuerit (tres enim enumerantur) frigidum habere venenum, vna imprimis Dioscoridis authoritate admonemur, qui lib. 6. cap. 31. pallidum corpus id facere dixit, spirandi difficultatem gignere & torporem inducere. Remedia quæ illi opponit calida multùm, scilicet meri potus, arundinis radices & cyperi, vehemens ambulatio, pix vino liquefactas, Betonicæ Artemisiæque decoctum, idem confirmant. Quo tempore itaque excalefacientem vim suscepit theriaca & exiccantem, aduersus venenum istud mira vi pollere magna cum ratione potuit Andromachus statuisse. Hic autem serpentum numerum non esse determinatum sciens, horúmque omnium venena ad quædam quasi capita vniuersalia reduci, per quæ eorum curatiua methodus sciatur, neq; omnium serpentum, minúsque venenorum omnium meminisse voluit: sed quædam tantùm exempli causa enumerauit, vt inde Cæsar planè posset intelligere, omnibus venenis & cuique precipuè serpentis morsui theriacam valenter resistere. Quare etiam vniuersale illi tradidit documentum his carminibus:

Hac fidens æstu per rura vagabere Cæsar,
In Libyco quamuis progrediare solo.

In quacũque ferè orbis parte serpentes gigni verum quidem est, in Libya tamen longè plures, & illos lethalissimos produci omnes affirmãt. Itaque vt aduersus serpẽtes quosque etiam lethalissimos pugnare theriacam valenter Cæsari insinuaret

Andromachus, sub eius ideò tutela eum per Libyam, æstatísque præsertim tempore, quo magis furere serpentes certum est, tutò incedere posse admonuit. Quapropter etiam non ad venenorum curationem tãtùm, sed etiam ad præseruationem valere theriacam ex hac Andromachi sententia, patet manifestè quemadmodum paucis quoque ab hinc admonebamus. Hæc autem venenorum serpentúmque exempla, ad vniuersalem aduersus ea theriacæ facultatem manifestandam sufficere quamuis possent, quoniam tamen quorundam aliorum speciatim quoque Galenus meminit, ob eam præterea quam illi debemus reuerentiam, & ad maiorem doctrinam, de his pariter verba facere instituimus, & qua ratione illis aduersetur theriaca demonstrare. Speciatim autem nominatos à Galeno fuisse inuenio in libr. de theriaca ad Pison. Basiliscum & Acontiam, quibus Murem Araneum & canem rabidũ adiecit, qui licèt inter serpentes enumerari minimè debeant, illorũ tamen morsus malignorum ac lethalium venenorũ sunt in numero: ita vt serpentium ipsorum morsibus possit æquiparari. Basilisci venenum efficax adeò esse, ipsemet Galenus cap. 8. libri proximè scripti admonet, vt si quando sibilat audiatur, videntes necet & audientes: atque si quod aliud animal illud etiam mortuũ attingit, statim moritur. Hinc aiunt, subdit Galenus, omne aliud reptilium genus cauere ne Basilisco vicinũ habitet. Hunc serpentem nominis significatione attenta, feram regiam idem Galenus appellauit libr. 10. de simpl. med. facult. cap. primo. Quapropter & Isidorus

nominis

nominis istius etymologiam explicans, sic appellari dicit, eò quod Rex serpentum sit. Sed Auicenna regulum illum dici existimat, quia coronatum habet caput. Fuere quoque qui crediderint dici regulum, quia instar Regis omnibus animalibus sit terrori: vel quia in omnia tyrannidem exercet & sæuitiam. Vtcunque autem nominis istius etymologiam explicare placuerit, nihil certè ad rem nostram facit. Consideremus igitur diligenter, vt serpentis huius naturam rectiùs teneamus, an vera sit illius à Galeno relata historia, quam pleriq. fabulosam indicantes, libri propterea de theriaca ad Pisonem dignitatem minuunt, illúmque hoc argumento à Galeni officina expungunt. Habent eundem imprimis quem adducant, qui lib. 10. de simpl. med. facult. cap. primo se nunquam Basiliscum vidisse affirmat, historiæque dubietatem his verbis insinuat: si vera sunt quæ de illo referuntur periculosum etiam est vel propè accedere ad hoc animal: Habent deinde Nicandrum in theriacis Basilisci naturam explicantem nullam rerũ harum auditionis adeò admirandæ mentionem facientem. Adducunt & Dioscoridem, quem, ne cum aliis in Basilisci historia accusaretur, Erasistratum citasse dicunt, qui author fuit historiæ. Addunt & argumentum huiusmodi: si oculorum solo intuitu, sibilo aut halitu hominem interficit non videre datur, quomodo factũ sit vt illi qui ipsum viderunt, eiúsque faciem adnotarunt, ex quorũ postea relatione, huiùs ferè historiam plerique descripserunt, incolumes euaserint, præsertim cùm tam paruum sit animal, vt non nisi è pro-

pinquo loco possit conspici. Hincque ideò illis impossibile visum est, quin basiliscus aspicientes non viderit, cùm, vt Plinius refert, non multiplici flexu incedat, vt reliquę ferę, sed celsus & erectus: vel quòd ex infecto circumstante aëre qui viderũt non perierint. Quapropter subdũt, cùm Erasistratus his fabulis nullam fortasse fidem adhiberet, certóque sciret Basiliscum morsu tantùm, vt aliæ feræ, homines interimere: eius duntaxat morsus curationem instituit. Nobis tamen, quibus recitatum librum à Galeni officina seiungere hucusque non placuit, aut certè minùs licuit, illud primo quoque loco ad eius dignitatem tuendam occurrit, multa scilicet Pisoni eo in libro Galenũ scripsisse ad eius animum oblectãdum, quò illius disciplinarum omnium desiderio satisfaceret, vt ab eodem conceptis propemodum verbis affirmatum est, eiusdem libri cap. 8. Quare quanquam fabulosa essent, quæ de hoc serpente scripta sunt, libri tamen dignitas minimè minuitur, qui etiam ad animi delectationem aliqua ex parte scriptus est. Dicere quoque fas est ex aliorum mente locutum eo loco Galenũ fuisse, qui hoc dixerit: huic aiunt omne reptilium genus &c. Sed fac ea vt lubet fabulosa, sunt tamen cùm ab antiquioribus, tum à recentioribus Galeno scriptoribus, & illis quidem grauissimis eadem scriptis prodita. Sibilo regulum occidere antequam mordeat vel exurat, author est Isidorus. Serpentum regem esse Regulũ, qui solo visu & flatu volucres absorbet, & occidit homines, legitur in glossa super Esaiam cap. 14. Eiusdem serpentis sibilum alios serpentes per-

perhorrescere,& cùm acceperint fugam,quocunque possunt properare scribunt Solinus, Nicander, Aelianus & Aetius. Apud Lucanum item hęc de Basilisco leguntur:

Sibiláque effundens, cunctas terrentia pestes
Ante venena nocens, latè sibi submouet omne
Vulgus, & in vacua regnat Basiliscus arena.

Basilisci quoque reliquias amplo sestertio Pergamenos comparasse, vtque ædem Apollinis manu insignem ne araneæ intexerent, néve alites inuorent, cadauer eius reticulo aureo suspensum ibidem locasse refert Solinus. Hunc eundem serpentem etsi dodrantalem non excedat mensuram, tamen vel serpentum maximam illius aspectu non longo interuallo, sed statim expirationis appulsu exiccari, & si baculum quem quispiam teneat momorderit, baculi dominũ enecari legere est apud Aelianum. Basiliscum, inquit Plinius, serpẽtes ipsi fugiunt, alios olfactu necantem, qui hominem, vel si aspiciat tantùm, dicitur interimere. Et tandem eò vsque processit apud recentiores huius historiæ fides, vt tam diri veneni rationem diligentiùs explicare aliqui non insulsè conati fuerint. Ne verò quidpiam prætermittatur, quod ad Galeni dignitatem hac in re tutãdam facere posse videatur: illud quoque addendum, quod apud recentiores nonnullos, referente Iulio Scaligero in Exercit. aduersus Cardanum. 246. articulo, 4. scriptum legitur, Leone scilicet Pontifice Maximo ad ædẽ Sanctæ Lucię sub fornice stabulatum Basiliscum, cuius afflatu magna lue affecta Roma fuerit, eúmque illius precibus extinctum. Quid tandem ad-

mirationis habet eum ſerpentem qui alios ſuo veneno occidere valens eſt, ſibilo quoque & viſu eoſdem interficere, hominibúſque modis iiſdem nocere poſſe? Quæ verò aduerſus Galenum adducta ſunt argumenta, nullam ea faciunt difficultatem. Quanquam enim ſe non vidiſſe vnquã Baſiliſcum affirmauerit lib. 10. de ſimpl. med. facult. cap. primo, & ex mente aliorum deinde locutus fuerit, nihil inde tamen aduerſus ea, quæ lib. de ther. ad Piſon. ſcripſit, elici poteſt. Non vidiſſe Galenum alicubi vnquam Baſiliſcum: illum propterea nullibi reperiri inde ſequitur? Illum autem reperiri, vno omnes ore antiqui ſcriptores affirmant. Neque inconuenit illa de eo Piſoni Galenum ſcripſiſſe, quæ alios in ſcripta retuliſſe affirmauit lib. 10. de ſimpl. med. facult. Quod ad Nicãdrum attinet, ea fortaſſe ille referre noluit, quæ ipſe non obſeruarat particulariùs: quedam tamen de hoc ſerpente ſcripſit admiranda: alia ſcilicet animalia illius iygen, hoc eſt ſonum vel ſtrepitum minimè ferre, ſed ſtatim fugæ terga dare, neque cadauera à Baſiliſco interempta, à vulture & Coruo tangi ob teterrimum vſque adeò odorem inde exhalantem, qui accedentes non ſine periculo penetrat, veluti & alia quæ ſuo quiſque arbitrio apud eum legere poterit. Porrò Dioſcoridem ſolius morſus remedia conſcripſiſſe, ad alia quæ alij de Baſiliſco retulerunt infringenda, haud ſufficiens eſt argumentum. Qui enim de curatione morſus tantùm loquitur ad ea minimè tenetur, quæ potius præcautionem quandam poſtulant. Quanquam etiam ea prætermiſiſſe potuit Dioſcorides

ſcorides, quibus parum fidei fortaſſe tribuebat: quæ tamen ab aliis ſcripta ſine ſuſpicione falſitatis à Galeno Piſoni ſcribi potuerunt. Et quod vltimo loco adducebatur argumentum, ſi ſibilo & & habitu interficit Baſiliſcus non potuiſſe aliquē eius formam docere, nullum eſt prorſus. Marſos innoxiè omnino ſerpentes tractaſſe, non eſt ex antiquis qui non affirmet. Hos igitur omnium ſerpentum formam delineantes, & eam quæ Baſiliſci eſt delineaſſe, eiúſque hiſtoriam diuulgaſſe ſatis eſt veroſimile. Nam & Galenus quædam ad viperas attinentia ex eis eſt percontatus, vt lib.10. de ſimpl:med.facult.cap.de vipera legere eſt. Pręterea licet ſibilo & halitu occidere dictus ſit Baſiliſcus non tamen repentè adeò illum occidere ſcriptum eſt, quin ab eo læſi ſerpentis formam delineare, ſuis ſaltem verbis potuerint. De reduuiis huius ſerpentis ad Apollinis ædem ab araneis tutandam ab his qui Pergamum habitāt coemptis, quæ ſcripta ſunt paucis ab hinc potuiſſe à multis animal huiuſmodi delineari oſtendunt. Cadauer item Baſiliſci in theſauris Maximiliani Imperatoris ſeruatū ſe vidiſſe bona fide teſtatus eſt Hieronymus Mercurialis Medicus eminentiſſimus & ſingularis doctrinæ vir libro ſuo de venenis. Quapropter ſi hæc omnia conſiderentur, ſæui adeò ſerpentis formam delineari à multis potuiſſe manifeſtum fiet. Galenum autem non eſſe damnandum vel ſaltem ſcriptum ad Piſonem librum de theriaca, minus fidei ob id minimè mereri, licet mirandā Baſiliſci hiſtoriam contineat, eſt itidem, noſtra opinione, certum. Cæterùm huius ſerpen-

tis venenum calidissimũ esse Ardoinus affirmat: neque id aliter esse posse certum est, si tanta illius est actiuitas & vehementia, vt visu interimat & sibilo, nõ secus ac morsu. Huius eiusdem rei fidem faciunt quæ de serpentis istius morsu scripta reliquit Nicãder in theriacis: hominis nimirum corpus à Basilisco ictum incendi, carnésque à membris defluere cùm liuidas tum nigras. Porrò venenum istud auxilia nulla admittere, esséque prorsus insanabile licèt existimauerint Aetius & Auicẽna: non est tamen quòd theriacam ei aduersari propterea non fateamur, qui eius curationem ab Erasistrato, ipso referente Dioscoride lib. & cap. vltimo, scriptam fuisse sciamus. Et vbi curationem esse impossibilem quis voluerit contendere: danda erit opera, Actuario magistro, vt antequam periculis homo sese committat, partim calidioribus vescatur cibis, partim meracis vtatur potionibus: interim & medicamentis quæ perniciosum ad se virus eliciant, modò Antidotis quæ venefieam vim expugnent contendendum. Neque scio an Antidotus ipsa theriaca valentior hoc in casu desiderari possit, quæ & Castoreũ & Papaueris succum (duo potissima aduersus Basilisci morsum ab Erasistrato, referente Dioscoride, & ab Aegineta conscripta auxilia) continet. Hinc illud quoque certum est, & antiquam & recentem theriacam hoc in casu ex vsu esse. De Acontia serpente nunc dicamus, à Latinis ob eam causam Iaculo dicto, quia, vt sensit Galenus, vbi se multùm extenderit, ceu iacculum quoddam corporibus insiliens simul & semel perimit: quod idem ab aliis omnibus

omnibus Galeno antiquioribus recentioribúsque ſcriptoribus affirmari legere eſt. Hunc ſerpentem eundem eſſe cum Cenchrite & Cenchria Aetius exiſtimat, quod nunc non diſputo: neque pluribus ad illius veneni vim manifeſtandã vtor, quoniam, Aetio magiſtro, ab huius morſu omnia quę de viperæ morſu dicta ſunt, atque illa quidem grauiora, conſequuntur ſymptomata: atque adeò grauia ita ſunt, vt etiam putrefactiones & carnium defluxus conſequantur, vnde & mors aduenit celeriùs. Remedia eapropter eadem, quæ ad viperæ morſum conducũt, ille laudauit. Muris aranei ſpecies quaſdam reperiri minimè venenoſas bona fide teſtati ſunt plerique: tamen Murem Araneum putrefactiuum venenum habere Aetius affirmat, hincque calidum illud eſſe colligitur. Quare & Dioſcorides lib. 6. cap. 46. circa huius animalis morſum inflammationem nigram, puſtulam diluta ſanie turgentem exurentémque exoriri, proximáſque partes liueſcere, rupta puſtula depaſcens vlcus fieri docuit. Huic veneno theriacam aduerſari multis in hunc vſque locum antea ſcriptis argumentis conſtat: eo verò idem nunc confirmatur, quòd Galbanũ pro eius Antidoto Dioſcorides conſtituerit, idque contineat theriaca. Rabidis quoque canis morſui præſentaneum auxilium eſſe theriacam cap. 16. de re huiuſmodi ex profeſſo Galenus docet, in lib. de theriacæ facultatibus ad Piſonem ſcripto, theriacámque & foris applicatã, & interiùs aſſumptã præſentaneum eſſe auxilium iis qui à rabido cane morſi ſunt, validis demonſtrat argumentis, ſeipſo in exemplum

adducto qui theriacã oleo rosaceo mollitã linamentis imposuit, ac veluti medicamen aliquod vulnerarium foret, vlceri à rabido cane facto superimposuit, vt tãquã cucurbitula venenũ è profundo traheret, & quasi exugeret. Sic & Auerroes in cap. 1. libri sui de theriaca, rabidis canis veneno theriacam occurrere affirmauit. Quare & Andromachus hæc Cæsari de re huiusmodi scripsit.

Hacq; canum rabiem fato impendente fugabis
Cum trepidat moriens & sitit ager aquas.

Ne verò aliquid prętermittamus, quod ad patefaciendã theriacę vim in venenis infringẽdis facere posse videatur, ea hoc loco consideremus quæ de Napello loco proximè scripto asseruit Auerroes, non posse scilicet eius venenũ à theriaca infringi & euinci. Scio de huius veneni siue de hac planta multa apud recẽtiores in controuersiã posita esse, quæ determinare præsentis nostri nõ est instituti: vnũ est apud omnes in cõfesso positũ lethalissimũ esse venenũ huiusmodi, & quã celerrimè occidere, cùm & id ipsum experimentis pluribus fuerit data opera exploratũ, & quę Petrus Andreas Matthiol. lib. 6. suorũ in Dioscoridẽ commentariorũ in cap. 73 de quibusdam experimentis ad Napelli virus explorãdum ab eodem factis scripsit, calidũ esse venenum istud & putrefactiuum manifestissimè doceant. Cur igitur, omnibus venenis inimica theriaca ab hoc vno euincitur? demus potentissimum esse venenum hoc & ferè immedicabile, cùm tamen & aliis huiusmodi venenis opposita fuerit nihilominus theriaca, vt in Aspidis sermone didicimus, cur eandem Napello non opponemus?

mus? Sed rem totam paucis determinasse visus est Auicenna lib. 5. summ. prima tract. & cap. primo, theriacæ iuuamentum in Napello esse paruum cùm dixit. Propter enim maximam veneni vim, debilius agunt medicamenta, víxque ei resistunt: agunt tamen quadantenus, saltémque vitam aliquo spacio producunt. At si de præseruatione à venenis loquamur: maximam esse in vsu theriacæ spem, quæ de aliis venenis Napello non minùs efficacibus arcendis, hoc eodem cap. scripsimus manifestum faciunt. Quod itaque veneno cuique & venenosorum animalium morsui omni, valenter aduersetur theriaca, satis supérque demonstratum puto. Non semper autem vires istas illa possidet, sed ad tricesimum tantum suæ ætatis annum quemadmodũ in calce prioris libri abundè docuimus. Atque vt à tricesimo anno vim huiusmodi in theriaca deperdi certum est, ita quinto & septimo anno valentiorem in illa eam esse, Galenus statuit lib. de theriac. ad Pison. cap. 14. his verbis: Qui valentiori potentioríque vti voluerunt, ipsam post quintum & septimũ annum exhibuerũt, præsertim aduersus venenatorum ictus, canum rabientium morsus, & noxia herbarum venena: validis siquidem noxis succurrere cùm vellent, potentiotibus theriacæ viribus eguerunt: quam eandem sentẽtiam vnà cum verbis iisdem, Paulus, Aetius, Auicenna, Razis & Haly Abbas habuerunt. Vt hoc vel solo argumento quantum fidei habeat scriptus ad Pison. de ther. liber clarè cõstet. Atq; de viribus theriac. aduersus venena & venenosorũ animalium ictus, hæc dicta sint satis.

QVIBVS MORBIS VENENVM NON HABENTIBVS ADVERSETVR Theriaca.

Caput Quartum.

QVONIAM morbus quiſque vel frigidus, eſt vel calidus, aut humidus, aut ſiccus, hiſque vel ſimplex, vel duarũ qualitatum combinatione in ſe ſuſcepta compoſitus dictus, de morbis propterea venenum non habentibus quibus aduerſatur theriaca ſermonem inſtituturis, generatim priùs quæſiuiſſe præſtabit, calidiſne morbis tantùm an etiam frigidis humidis & ſiccis ea occurrat: ſic enim quos morbos particulares ſuperet, manifeſtiùs apparebit. Id quoq. Auerrois occaſione præſtandum nobis fuit, qui ſuo lib. de ther. cap. 1. in fine, vnam omnium eſſe affirmauit ſententiam, non conferre theriacam ægritudinibus generatis ex ſanguine & cholera: imò nec omnibus frigidis ægritudinibus ex phlegmate & melancholia prognatis: ſed iis tantùm quæ humores habent corrumpentes complexionem & formam corporis, vti ſunt lepra, paralyſis epilepſia & apoplexia fortis: aut eoſdem humores à naturali ſtatu multùm diſtantes. Quòd non conferat morbis calidis, cap. eius libri 3. hunc in modum probare contendit: Vel eſt ægritudo ſimplex, aut compoſita: & quæ ſimplex eſt, vel eſt cum materia, vel ſine. Vbi ſine materia fuerit, ſiue calida fuerit ægritudo, ſiue ſicca, vt febris Hectica, non conuenit theriaca. At ſi materiam habeat, fuerítque phlegma vel melancholia

in fine

in fine malitiæ, conuenit theriaca, non conuenit autem in ſanguineis & cholericis morbis: excepta tamen cholera, quæ multùm exceſſerit terminum naturalem: hæc enim ſi febrem non fecerit, vt in fluxu vẽtris & vomitu aliquo, conuenire theriacã dixit: non conuenire præſente febre. Rationis cardo in humoris & medicamenti caliditate conſiſtit totus, quorum ratione timet caliditatis morbificæ auctionem. Choleram autem ſine febre, quæ multùm exiuerit à termino naturali, ob id à theriaca euinci concedit, quoniam cùm digeſtionem non recipiat, nec alterationem à medicamẽtis ei contrariis, deſtruitur & euacuatur à theriaca. Quin etiam ad ſuam confirmandam opinionem confugit ad experientiam, ſéq. vidiſſe affirmat fluxum diuturnum ex cholera & melancholia aduſtis ortum, ob theriacæ vſum ægrotantem occidiſſe. Theriaca, ſubdit, humorum aduſtionem auget, niſi fortè veneno ſimilis fuerit aduſtio, quo in caſu conuenire theriacam concedit. Quòd ſi fuerit cõpoſita ægritudo, vt ſunt apoſtemata, & febres duarum ſpecierum præſente humore calido, theriacam non concedit: concedit, ſi humor fuerit frigidus, vt in quartana, quotidiana & duris apoſtematibus. Atque inde confirmationem id ſuſcipere videtur, quoniam calidioribus anni temporibus, ſimilitérq; in biliosis temperamẽtis minimè tutum eſſe theriacæ vſum Galenus, vt poſtea audiemus, cenſuit, quemadmodum & ipſe Auerroes in fine cap. 3. Non conferre autem theriacam iis morbis, qui humores non habent ſimiles venenis, aut ſaltem multùm à ſuo naturali ſta-

tu remotos ea ratione affirmauit Auerroes in cap.2. quoniam Alexipharmacum est theriaca, mediam naturam habens inter corpus & venena, quæ proprio in quod agat & suas exerceat operationes non reperto contrario lædere propter suam insignem vim apta est. Subdit in cap.3 Medicinæ quæ curant ægritudines generatas ab humoribus, adiuuant medicinas quæ curant venena: sed non è conuerso nisi ægritudines assimilentur venenis. Probat hoc ex eo quia, quæ excalefaciũt attenuant, adstringunt, vel laxant, aut etiam quid occultum præstant medicamenta, ipsis Alexipharmacis in venenis euincendis auxilio esse possunt. Sed Alexipharmaca in ægritudinibus minimè venenosis, plus nocent quàm prosint, cùm sint fortia medicamenta, sicut nocent medicinæ fortes propinatæ ægritudinibus debilibus. Summa itaque hæc est totius disputationis ab eo subtiliter quidem & ingeniosè, vt illi moris est, Institutæ, sed meo iudicio perperam. Primò enim si variũ theriacæ temperamentum, iuxtà varias eius ætates à nobis capite huius posterioris libri primo determinatum consideremus: iam non erit, vt theriacã calidis frigidisq; morbis aduersari, vltrò dubitemus: cùm primis mẽsibus, refrigerãtis sit facultatis theriaca: primis annis excalefaciat quidem, sed non strenuè: insigniter verò in sequẽtibus. Ex quo & illud apparet manifestiùs, non adhuc insigniter excalefacientem theriacam, in morbis non multã caliditatem habentibus, minori cum timore in vsum venire. Deinde in morbis calidis, excalefacientia medicamenta ex vsu sæpè esse vnius quotidianæ

tidianæ vel quartanæ febris, ab eodem Auerroe, adductum exemplum sufficiat. Quin etiam his venenis quæ multam corpori caliditatem impertiũtur, præstò esse theriacam, ea potissimùm ratione cap. proximè precedenti demonstrabamus, quia venenum faciens caliditatem, mortémque præsentaneam inducens, infringit protinus & valenter. Id verò quod apud medicos rationales axioma est notissimum: illud à quoquam ignorari aut negari non posse sentio: nocere scilicet medicum duntaxat sæpè vt plus iuuet & vitam fugientem retineat Imò periclitandum aliquando esse Galenus existimauit, & pro morbis abigendis alios inducendos interim esse morbos iussit Hippocrates lib. 6. Epidem in fine. Hæc omnia si paulò attentiùs considerasset Auerroes, dimissa profectò disputationis subtilitate, ad ea tantùm sese accinxisset, quæ solida sunt & vera. Potuisset ille longè diligentiùs ea considerasse, quæ de theriacæ viribus in profligandis morbis venenum non habentibus, scripsit in primis Andromachus, Galenus deinde & alij confirmarunt: neq. fortasse talia audentiùs protulisset. Quinimò nec sibi ipsi hac in re contradixisset. Sanè verò morbos plerosque calidos ab humoribus biliosis non malignis prouenientes, necquidem vehementes, aliósque à sanguine productos, sanare theriacam, ex Andromacho Galeno & aliis Auerroe ipso antiquioribus dignioribúsque medicis, demonstrabimus in sequentibus. At ne demonstratione aliqua locus hic penitus careat, ex iis morbis aliquos in exemplum hic cõmemorabimus

Ictericiam flauam sanare theriacam, Cæsarem commonefecit Andromachus. Sed quis icteritiã inter morbos malignos aut corrumpentes enumerauit? Quis biliosum humorem eam facientẽ dicet esse summè adustum? Quis eundẽ non fatebitur calidum? Insomnietatem pariter, quæ dubio procul siccitatẽ habet pro causa, theriacam, quę perpetuò exiccat, sanare, & somnum conciliare, eidem Cæsari idem Andromachus scripsit. Corpulentiam insignem quis sine multo sanguine esse dixerit? Hanc tamen à theriaca auferri manifestè docuit Galenus, lib. 14. meth. med. cap. 15. Febrem à theriaca extingui, authoris libri de vsu theriacæ ad Pamphil. opinio fuit: vt iam horum medicorum authoritas Auerroem ipsum reprehendat & coarguat vel manifestè. In eo verò idẽ reprehendendus magis, quòd sui ipsius immemor, aduersus ea quæ de theriacæ vsu acutè nimis disputauerat, multa eodem tractatu oscitãtiùs effutiuit. In cholera prassina & æruginosa fluxum ventris faciente concedit ille ea ratione theriacã cap. 3. quia ad duo mala respicere debeat medicus, & curare quod fortius est: fortius autem, inquit, est periculum deueniendi ad mortem subitam. Sed quod ille in cholera prassina & æruginosa ob vitæ periculum admittit, illud idem in aliis morbis lethalibus ab alterius generis bile productis eadem occasione vt concedat necesse est: cùm non minus sit excalefactionis periculum à theriaca, bile existente æruginosa vel prassina, quàm in alia quapiam eius specie. Deinde cùm dicit in eodem cap. si pauca fuerit choleræ adustio,

ſtio theriaca eam auget, & propterea non danda. Si multa, & timeatur aduentus mortis ſubitaneæ danda. Quaſi profectò minus ſit excalefactionis periculum exhibita theriaca humore exiſtente calidiore, quàm ſi minùs calidus fuerit. Concedo in morbis periculoſioribus, maiora requiri auxilia, mortis præſertim imminente periculo. Nego tamen in morbis paulò mitioribus nullo pacto cõuenire eadem auxilia poſſe: ſæpe enim paruum morbum ne grauior fiat & occidat, fortiori auxilio exſcindere præſtat. Hippocrates in confirmationem adducatur qui ad imminentes morbos arcendos, & venæ ſectionem & purgationem, quæ duo ſunt maxima in arte auxilia perſæpe commendauit. Quid plura? In fluxu ſanguinis narium, menſtruorum & hæmorroidum, nouam concedit Auerroes theriacam commendata Galeni hiſtoria, matronæ illius Romanæ ex catarrho ſalſo ſanguinem expuentis, recentem theriacam eius conſilio aſſumentis. Neque tamen negaret Auerroes caliditatis participem fuiſſe catarrhum illũ, & ſanguineos dictos fluxus eſſe morbos à ſanguine proficiſcentes. Quin etiam ſpaſmo cauſam calidam habenti theriacam, ex accidenti eſſe auxilio, ille idem ibidem fatetur. Sed quomodocunque calidos morbos ſanet theriaca, nũc nobis curæ eſſe non debet, quibus ſufficit, fateri illum calidis quoque morbis prodeſſe theriacã, quod antea negauerat abſolutè. Præterea ad omnes morbos cutem inficientes, theriacam eodem in loco commendat Auerroes: ſed tantum abeſt, vt eiuſmodi morbi omnes, aut venenis ſimiles ſint, aut

humores habeant maximopere ab eorum natura remotos, vt eorum plerique & leues sint, & curatu faciles: imò aliqui ne morbi quidem nomine antiquis digni visi sunt. Vt verò in his quæ hucusque recensuimus leuitatis crimine damnandus esse videtur Auerroes: ita quoque, quæ pro sua firmãda opinione iecit fundamenta, facili euertuntur negotio. Cum itaque simplici calido morbo aut sicco sine materia qualis est febris hectica, theriacam interdicendam probauit, rectè fecit, neque nos cuique morbo theriacam conuenire contendimus, minúsque Andromachus & Galenus id affirmarunt: sed nullum calidum aut siccum morbum, à theriaca sanari posse, ob id non sequitur. Biliosis morbis qua ratione nõ sit omnino interdicenda theriaca, & choleræ adustæ si conuenit, eandem & minùs adustæ cõuenire proximè à nobis ostensum est. Quare & quod secundo loco posuit fundamentum, corruit totum. Sed & choleram à termino naturali longè remotam digestionem nõ recipientem, si euacuare apta est theriaca, vt ille dicebat, cur hoc idem in cholera minùs praua, & quæ digestionem recipiat, illa non possit, nobis profectò videre non datur. Experientiam quam adduxit eius qui fluxu à melancholia & bile adustis correptus, sumpta theriaca interiit, vel dicemus inanem, quia vi morbi potuit ille interire, nequeunte theriaca humorum & morbi sæuitiam infringere, vel quamplures alias eidem nos opponemus multorũ morbis ab humoribus iisdem factis correptorum, qui theriaces ope sanitatem aquisiuerũt. Est tamen vt quisque animad-

uertat,

uertat, lepræ & Elephantiasi cõcedere Auerroem theriacã, quos morbos à bile maximè adusta fieri cuique notum esse scimus. Cæterùm etsi in calidioribus anni temporibus & ætatibus ipsis calidis, minimè tutum esse theriacæ vsum verum sit, non inde tamen sequitur, nullos calidos morbos à theriaca depelli, cùm possint soleántque sæpe in anni temporibus minùs calidis & in ætatibus frigidioribus apparere. Ad argumentum ex Alexipharmacorum natura desumptum respondemus, difficilem quidem esse rectum horum medicamentorum vsum, quia veneno cùm participent, facilè nocere possunt, & propterea maxima cum moderatione maturo priùs præcedente consilio, in vsum venire debere, hoc autem ad ipsum pertinet artificem: nec propterea inde sequitur morbis veneno carentibus Alexipharmaca non conuenire. At dicebat ille proprio in quod agant non reperto contrario nocent. Diximus id falsum esse, quia medicamẽti qualitas ea quæ veneno aduersatur, eo non reperto otiatur, & solæ aliæ eius qualitates agunt, quę contrarium inuenerunt. Sed ô Auerroes, cur in quartana febre in qua non est venenum, concedis cum Galeno theriacam? An fortè in quartana venenum adest, in quo theriacæ vis veneno aduersa agat? hoc sanè modo solis venenis conueniret theriaca. Nocere iis Alexipharmaca qui magno morbo non laborant, si absolutè accipiatur, falsum est: quia morbos plerosq. minimè magnos Alexipharmacis, præcipuéque theriaca sanari, nuper à nobis ostensum est, ostendetúrque in sequentibus manifestiùs. Quapropter

hac Auerrois ſubtilitate inaníque opinione dimiſſa: quibus morbis veneno carentibus theriacam particulariùs occurrere exiſtimauerint Andromachus, Galenus & alij antiqui Medici inquiramus diligenter, rationíſque medio hanc theriacæ facultatem ex induſtria inquiramus. Sanè verò qui librum de vſu theriacæ ad Pamphil. ſcripſit, paucis multa colligens, in quibus alia remedia vi morbi ſuperata nihil contulerint, in his theriacam exhibitam præter omnium expectationem egregiè operari conſtanter affirmauit: vt ex hac huius ſcriptoris atteſtatione omnibus morbis theriacam occurrere dicendum ſit. Minùs vniuerſalis fuit Damocratis opinio, hiſce carminibus nobis explicata:

Hæc vſum ad omnes commodum morbos habet
Qui corpus longa, malè afficiunt mora.

Neutrius tamen ſententiæ nos acquieſcimus, aliquos tantùm morbos ex hiſque frigidos alios, alios calidos, ſiccos nonnullos & nonnullos humidos, theriacam euincere affirmantes. Hos ferè ſingulos enumerarunt antiqui Medici diligenter, hiſque nos contenti erimus, ab iis quos Andromachus enumerauit priùs incipientes. Ex his autem exemplo deſumpto, ſi qui alij fuerint morbi quibus aduerſari theriaca poſſit, eos qui ingenio valent Medici non magno poterunt inuenire negotio.

VEN-

VENTRICVLO INFLATO QVA RATIONE CONFERAT Theriaca.

Caput Quintum.

PRIMVS itaque ab Andromacho enumeratus morbus qui sine venenosa qualitate corpus excruciat, est ventriculi ab eo dictus tumor, sic enim habet eius carmen:

Hæc rursus stomacho præsens medicina tumenti est.

Hunc ventriculi affectum esse à Latinis dictam inflationem ratio ipsa suadet, & hanc Galenus lib. 3. de cau. sympt. cap. 2. πνευμάτωσιν γαστρὸς, Græcè appellauit. Voce tumoris metri causa vium fuisse Andromachum credimus: nam per inflationem, vt tumeat ventriculus necesse est: ideóq; etiam inflationem & tumorem, idem antiquis significasse author est Galenus 4. aphor. comm. 34. Andromachi sanè Græca lectio habet οἰδήματος, voce à verbo οἰδέω, quod tumeo significat deriuata. Huius rei confirmatio ab authore libri de vsu theriacæ ad Pamphil. desumi potest, qui theriacam ventriculi inflationi subuenire apertè scripsit, neque videre est Andromachum, Galenum, aliorúmve antiquorum Medicorũ aliquem, theriacæ facultates inquirentem de ventriculi tumore sermonem habuisse. Huius affectus causam esse flatuosum spiritum loco proximè scripto Galenus affirmauit, ventre scilicet existente impotẽte ad excernendũ nebulosum, excrementosúmq. spiritum. Ob ventriculi autem imbecillitatem à

frigida intemperie enatam, cuius occasione probè ille concoquere nequit, ex quo postea genitis crudioribus excrementis in quæ agit imbecillus calor fieri flatus inflantes, Galeno id asserenti, lib. de diff. sympt. cap. 4. & lib. 14. meth. med. cap. 7. omnes assentiuntur: Vt hinc vel manifestè constet, quàm cõueniens aduersus hunc affectum remedium sit theriaca. Calorem imprimis naturalem mirificè illa confirmat: quare & ventriculum ad rectiùs concoquendum disponit. Eiusdem visceris imbecillitatem sanare hoc idem medicamentum in lib. de ther. ad Pison. cap. 15. à Galeno scriptum est. quod priùs scripserat Damocrates in prima theriaces descriptione: hos deinde secuti sunt, Aetius tetrab. 4. serm. primo cap. 96. Actuarius lib. 5. sui method. med. cap. 6. Nicolaus Myrepsus sect. 22. cap. primo, Auerroes lib. de ther. cap. 1. & Haly Abbas lib. 10. pract. cap. 5. omnes ac singuli theriacam ventriculi inflationem sanare, apertè affirmantes. Posse autem eam id facere, & quæ continet aromata, calorem naturalẽ firmantia, & medicamenta multa flatus discutientia in eadem existentia suadent manifestè. Est adhæc excalefaciens & exiccans medicamentum humidiora frigidioráque excrementa exiccans, excalefaciens & absumens, crudóque humores ad concoctionem disponens. Cæterùm longè magis hoc veritatem habet, per eam quam Galenus libr. 14. meth. med. loco proximè scripto docuit, inflationis ventriculi curandæ rationem his verbis: Curationis omnium cõmunis est indicatio, vt quod præter naturam est, vacuetur in quocunque contineatur,

tineatur, propria verò post hanc communem est, vt tenuissimis & calidis potestate medicamentis vtamur, atque in ventriculo quidem & visceribus oleum quod tenuium est partium, quódq. rutam habet incoctam, aut aliquod calidorũ seminum, cuiusmodi sunt cumini & Apij & Petroselini, id præstabit: His porrò omnibus indicationibus satisfacere theriacam posse, eius compositionem ingredientia medicamenta, eiusdem temperamẽtum & facultas euidens apertè insinuant. Non enim rutam tantùm & cuminum, & seminum calidorum quædam continet theriaca: sed pleraque huiusmodi & illa quidem potentissima. Valenter adhæc attenuat: strenuè excalefacit & exiccat, & superfluitates absumit, propterea q. etiam quamque insignem ventriculi inflationem sedare & sanare apta est. Sed qua ratione hunc affectum corrigere valens est theriaca, eadem pariter aliis ventriculi frigidis & humidis morbis, occurret. Quoniam autem in his omnibus affectibus excalefactio requiritur potissimùm, prouectioris ideò ætatis theriacam in hunc vsum eligendam esse certum est. Magno eapropter consilio ventriculi imbecillitatem & tormina, coctionísque tarditatem theriacam sanare posse Damocrates, Galenus, Aetius, Actuarius, Auerroes & Haly, locis proximè adductis enuntiarunt. At Galenus ipse in lib. de ther. ad Pison. cap. 2. Atriam eximiè ab Imperatoribus commendatam, quòd philosophię diligenter operam nauaret, & Platonis lectione delectaretur, ventriculi languore laborantem, vt ne cibum quidem accipere valeret, theriacæ &

vini Absinthites vsu sanatam fuisse scripsit.

ASTHMATI CVR OCCVRRAT THERIACA.

Caput Sextum.

SVBDIT deinceps Andromachus:

Hæc ab anhelãti pectore tollit onus.

Quo carmine, morbum illum nobis insinuari, qui mutuato à Græcis vocabulo, Latinis appellatur quandóque Asthma alias anhelatio vox Græca ἄσθμα, qua vsus ille est, certum facit. Huius affectus quanuis triplicem constituerint antiqui Medici speciem Asthma scilicet Dyspnæam & Orthopneam: cùm tamen non nisi secundùm magis & minus inter se differant, vniustantùm meminit Andromachus, cuius medio & aliæ subintelligerentur: quæ quidem in eo conueniunt omnes quod vel viscidos & crassos humores habeãt pro causa effectrice (omittimus enim de industria cordis immensum calorem, virium imbecillitatem & viarum angustiam, à quibus quoque spirandi difficultatem fieri interim posse, Galenus docuit lib. 4. de loc. patientib. cap. 7. quoniam in his nihil posse theriacam certum est) vel tuberculum aliquod aut plura. Seu verò humores fuerint, seu tuberculq, bronchia pulmonis dum obsident, facta in dictis viis angustia, respirationem è vestigio impediunt. In huius itaque morbi curatione, quæcunque ex prædictis fuerit eius materialis causa attenuationem & abstersionem requiri insignem, non modò Galenus: sed vnà &

nà & reliqui Medici omnes tam antiqui quàm recentes apertè affirmant, atque apertè adeò, vt vlterior à nobis hoc loco huius rei non requiratur demonstratio. Attenuare verò vnà atque abstergere theriacam, est item in cap. primo huius nostri sermonis secundi à nobis ostensum. Quam rem diligenter cùm considerassent, Galenus, Actuarius, Aetius, Myrepsus, Auicenna & Haly, Antidotum nobilissimam tanquam efficax, aduersus contumacem hunc morbum, remedium ipsi quoque commendarunt, quibus adiici etiam potest Cælius Aurelianus, Medicus quidem methodicus, sed doctrina admodum insignis, qui idem affirmat, cùm de difficult. respirationis loquitur. Quin etiam Galenus lib. 3. de locis affectis cap. 8. hosce pulmonis morbos Mithridatica vocata cõpositione, Athanasia, Ambrosia, & theriaca in potu datis sanare conatus est. Atque hic quidem tãtopere in huius medicamẽti exsiccante vi cõfisus est, quemadmodum eodem loco testatus est, vt pro exsiccandis pulmonibus Hedychroum pastillum, interdiu naribus ipsius ægrotantis adhiberi iusserit, quo quidem argumento ab his quæ theriacæ compositionem ingrediuntur medicamentis desumpto, longè magis theriacam ipsam commendari quisque intelliget, qui Glycyrrhizam, Marrubium, scillam, Iridem Agaricum, Myrrhã, Terebinthinã, Gentianam, Aristolochiámque in eius compositione accipi sciuerit, quæ omnia & singula impactos in pulmonibus quoquo modo humores abstergere, attenuare, educere, absumere, & exiccare, propriè admodum apta nata sunt.

Cùm verò id auxilij aduersus hos morbos auferat theriaca, attenuatione, absterſione, exiccationeque media, eam quoque non in ſuæ ætatis initio, ſed prouectioris ætatis neceſſitati huic ſatisfacere poſſe, iri haud poteſt inficias, quod ſemel atque iterum de eadem aduerſus frigidos & humidos morbos quoſque adminiſtranda, admonuiſſe ſufficiet. Qua autem ratione morbo huic ab hiſce cauſis excitato occurrit theriaca: eadem nec prorſus diſſimili aliis pectoris & pulmonum morbis ab eiſdem cauſis excitatis, cuiuſmodi ſunt tuſſis, & pręſertim antiqua, pectoris dolor, & empyema, ea moccurrere exiſtimarunt, libri de vſu theriacæ ad Pamphilianum ſcriptor, Actuarius, Auicenna & Haly Abbas, quos quidem morbos Andromachum ſilentio præteriiſſe dicendũ eſt, quia vnum tantùm aliorum omnium exemplum, his qui ſua hæc legerent, eſſe voluerit.

VENTOSITATEM ET MALVM HABITVM PELLERE THERIACAM.

Caput Septimum.

QVODNAM morbi genus illud ſit, quod ſubſequentibus hiſce carminibus:

Aut intus toto, cũ ſpiritus vndiq; vẽtre
Fluctuat, & ſurdis viſcera pulſat aquis.

propoſuit Andromachus, non ſatis mea opinione clarũ eſt. Exiſtimauerit fortè fortuna aliquis verbis ipſis prima facie inſpectis, morbum propoſitum eſſe hydropem: ſed obſtat imprimis ipſe idẽ Andromachus, qui paulò inferius hydropem nominauit.

minauit. Obstant deinde Latini interpretis verba quædam hydropi minimè conuenientia. Surdas aquas in hydrope, quis dixerit cõtineri? quis easdẽ aquas viscera pulsare affirmauerit? At eum morbum quem Auerroes & Auicenna de theriacæ viribus locis adductis differentes, ventositatem malignam appellarunt, cui deinde succedit malus habitus, qui via est ad hydropem siue eius initium Andromachum subintellexisse credimus. Aliquando quidem in toto ventre præsertimque inferiore tantus ventus intus cõtinetur, vt videantur ægrotantes suffocari, & eorum venter disrumpi, qui cùm ab alicuius visceris frigiditate proueniat, debilitatis coctionibus malum habitum tandem superuenire necesse est. Ad id affirmandum ea ratione inducor, quod de hac magna ventositate & de malo corporis habitu, ne verbum quidem vllum habuit postea Andromachus: de quibus tamen morbis Galenum & alios, ex eius sententia locutos fuisse dicendum est. Galenus enim lib. de ther. ad Pison. cap. 15. cõtra malum habitum constituit theriacam vt optimum auxilium. Hãc eandem ventositati magnæ aduersari dixerunt Auerroes & Auicenna. Huic nostræ sententiæ arrident vel maximè Græca ipsius Andromachi carmina, manifesta quidem adeò his qui Græcè sciunt, vt superfluum sit ea hic adscribere, & in iis declarãdis pluribus vti. Ventum omnem in nostro corpore à diminuto calore fieri, statuit Galenus 5. aphor. com. 72. quod nihil aliud est quàm inducta ex caloris diminutione in corpore frigiditas: quæ eò maior est quò maior est ventus. Magnum

itaque ventum à magna frigiditate siue à multa caloris diminutione prouenire necesse est, ideóq. & mortuorum corpora calore prorsus destituta in modum tympani intumescere persæpè videre est: atque præsertim si præcesserit causa calori naturali maximè inimica, vt in his qui à veneno occisi sunt. Non mirum est itaque huic caloris diminutioni malum corporis habitum succedere interim, vitiatis nimirum coctionibus ob caloris naturalis diminutionem, quo fit vt solidæ corporis partes quas Hippocrates continentia appellauit, vitiẽtur cacochymia multa in eis genita. Quoniam verò in aquam conuerti aliquãdo solet hæc cacochymia, constituitur tunc ideò aquea cachexia, de qua locutus est Galenus primo lib. de alim. facult. agens de lente, & de hac est intelligendus Andromachus cùm dixit:

Fluctuat & surdis viscera pulsat aquis.

Nec de ea tantum cachexia quæ vniuersalis est, intelligi debet, sed etiam de particulari, quoniam eadem sit vtriusque causa, idémque generationis modus. Capitis & oculorum cachexiam reliquo corpore incolumi existente cognouit Galenus, & cerebrum quibusdam melancholicis cachecticon esse, & ex longa lippitudine in oculis cachexiam induci dixit, & hanc sæpius à nobis obseruatam fuisse testamur. Quid modò surdarum aquarum nomine intellexerit Latinus interpres, nobis nunc curæ esse non debet, cùm metri causa impropriis sæpissimè vtantur poetæ vocabulis. Hæc itaque cùm sic se habeant, cur his morbis auxilio sit theriaca facillimum est intelligere. Per id enim quod

viscera

viſcera roborat, flatuum & aquæ generationi ex diametro aduerſatur. Exſiccando verò & excalefeciendo, idem præſtat, vltro autem & aquam abſumit: dúmque attenuat, aquæ & cacochymiæ euacuationi fauet, lotio nimirum à natura poſtea proritato. His eiſdem ſuis viribus ac officiis, flatus iam genitos, euacuare & abſumere, eorúmq. generationem impedire theriacam poſſe, dices. Adde ſuſcipere eam in ſua compoſitione Caſtoreum & Scillam quæ duo medicamenta, mirificã vim aduerſus flatus ipſos habere, Galenus exiſtimauit. De caſtoreo quidem lib. II. de ſimpl. med. facult. cap. proprio ventrem flatu diſtentum, ita vt termina & ſingultus fiant, ab eo adiuuari ſcripſit. De ſcilla verò, lib. de remed. facilè parab. cap. de aceto ſcillino, ventris flatus ne fiat, prohibere docuit.

AD COLICOS DOLORES ESSE OPTIMVM REMEDIVM theriacam.

Caput Octauum.

COLI vocati inteſtini infeſtiſſimum dolorem, duobus deinceps ſubſequẽtibus carminibus nobis expoſuiſſe Andromachum ita clarum eſt, vt quæuis vlterior confirmatio prorſus ſuperflua dicenda ſit. Inquit enim:

Diráq; cùm miſerum diſrumpunt tormina ventrẽ
Et ſaliunt longi membra dolore coli.

Idem vt constans acceperunt Galenus & qui librum de viu ther.ad Pamphil. scripsit Damocrates,Aetius,Auerroes & Haly , omnes ac singuli theriacã in dolore isto,maximè. Cõmendãtes cõfirmationis ratio est in prõptu manifesta, si istius affectus causas,& theriacæ vires,interse cõparaueris,sibiq.ipsis inuicẽ eas opposueris.theriacã,si ad adolescentiæ saltẽ ætatẽ peruenerit, excalefacere & exiccare:viscera firmare, flatus discutere.excrementáq.absumere:si verò in initio solo suę cõpositionis fuerit refrigerare,& in sensu stuporem inducere,cùm prioris nostri sermonis parte vltima, tũ huius secundi anteriore docuimus:quæ omnia in huius intestini dolore sæpe cũ requirantur,non est vlterior aliqua dubitandi occasio. Imo fatendum liberè est,colicum pharmacũ esse theriacam hoc est ad sedandum coli dolorem comparatum: siquidem præter sedationem doloris,vix aliud in colico affectu præstare possumus:idque satis esse Galenus in initio lib.6.de loc. patientibus , scriptum reliquit.Porrò sedãtur dolores,cùm abscissa causa,tũ lenito quadantenus dolore: ita vt debeant anodynis , mixta esse medicamenta causam abscindentia:quæ duo theriacæ insunt : nam aromata continet pleráq. & multa medicamenta vrinam cientia,& excalefacientia : ita vt verè colicũ dicatur pharmacum , Galeno id suadente lib.9.de comp.med.sec.loc.cap.4 in initio,dũ colica pharmaca quænam sint,nos docet. Quanquã autem,colicũ pharmacum vniuersalius sit, quàm vt soli colico dolori conueniat: huic tamen & illud conuenire certum est : quod ad præsens nostrum

ſtrum negotium ſufficit. Conuenit autem eius qualitate efficientiſq.materialis cauſæ conditione conſideratis.Eſt colon inteſtinum craſſum ordine à ventriculo quintum,inter cœcum & rectũ medium,longum illud quidem & multos habens medios globos paruos & veluti cellulas , in quo craſſiores fæces commorantur, donec excernendi tempus appetat. Quatuor autem in genere de cauſis in eo excitari dolores Galenus docuit lib.12.meth.med. c.7.& 8.nec nõ & Paulus lib.3. cap.43.ab humore craſſo pituitoſóq. intra dicti inteſtini mẽbranulas ſubſidente:à ſpiritu craſſo& flatulento in eodem præter naturam retento: ab eiuſdem inflammatione:& deniq.ab acri mordaciq.ſucco eundẽ infeſtante ac vehementer affligẽte.Inflãmatio ,acriſq.humor & mordax, refrigerantia exquirit & humectãtia medicamenta:quas vires ab initio ſuæ ætatis habet theriaca:& hęc eadem vbi in ætate progreſſa ſit, excalefacit, attenuat flatus diſcutit & totiũ proritat:quibusfacultatibus,craſſos pituitoſóſque humores , & flatus magnos euincit.Quinimò quæcúmque fuerit huius doloris cauſa,vbi vehementiùs ille infeſtet virtuti & inde vitæ,magno impendente periculo,refrigerantem theriacam ex vſu , ex eo conſtat, quòd Galenus lib.12.meth.med.cap.primo,in colico dolore,ex vigiliis & virib. reſolutis ad mortẽ tendente ægro obſtupefacientia iuſſit exhiberi medicamenta.Siquis autem reliqua medicamenta in theriaces cõpoſitione vſurpata cõſideraverit diligentiùs hoc quoq nomine theriacam vt optimum auxilium colico dolori oppoſitã fuiſſe ab

Andromacho, intelliget. Hæc quanquam ad coli vocati intestini dolores propriè pertineant: cùm tamen & ab eisdem causis in ieiuno quod tenue vocatur intestino, inque cæco dicto, excitari possint dolores, quos omnes impropriè satis à medicis colicos appellari tunc temporis, Galenus conquestus est lib. 6. de loc. patien. cap. 2. eisdem propterea & theriacam subuenire dicendum est. Ob id, qui lib. de vsu ther. ad Pamphil. scripsit Actuarius & Hali, intestinorum omnium dolores particulariùs enumerarunt, hísque theriacam aduersari, testati sunt.

REGIVM MORBVM QVARE SANET THERIACA.

Caput Nonum.

REGIVM deinde morbum enumerat Andromachus, ad quem expellendum maximè valere theriacam censuit, éstq. eius opinio, his carminibus, omnino manifestè expressa:

Sanat idem croceo suffusos ora colore
Regius is solito nomine morbus erit.

Etenim à bile flaua per vniuersas corporis partes, exceptis intestinis dispersa, quæ croceũ colorem in eis inducit, prouenit, diuersisq. de causis id contingit. Aliquando enim fit ab obstructione vesicæ illius quæ bilem recipit, propter quod non patentibus illis meatibus per quos secerni atque vacuari debet, regurgitat in iecur & venas, sanguiníq.

guiníque permixta effunditur in vniuersum habitum. Alia icteri species est, quam nulla parit obstructio, sed vel calida & sicca totius corporis, maximéque hepatis, intemperies, vel facultatis secretricis imbecillitas: illa quidem, quòd multam bilem gignat toto corpore communicatam: hæc verò, quòd genitam eandem à sanguine secernere nequeat. Et ad hãc morbi istius speciem is dubio procul est referendus icterus, qui à venenatorum morsibus aut potu pharmacorum deleteriorum solet contingere: quíque nascitur ab omni alio iecinoris vitio, quo sanguis deprauatur, & flauus, vel porraceus, vel pallidus, vel plumbeus euadit, siue id inflammatio sit, siue durities, siue compositus ex vtroque morbus. Quòd item ex lienis obstructione redundante per vniuersum corpus nigro humore fiat nigra ictericia, nulli non notum esse certũ est. Alia denique icteri species est, quæ fit per morborum biliosorum crises. Aretæi autem opinionem nunc non examino, qui affectis etiam intestinis morbum hunc excitari posse existimauit. Has omnes affectionis istius species enumerasse nos oportuit, vt quibus esset auxilio theriaca intelligeremus. Ei enim ictero qui postremo loco positus est theriacam conuenire, dici haud potest. Nam si excalefaciens fuerit, febrem è vestigio augebit, & cùm frigefacit stuporem inducens, cùm expulsioni tum euacuationi impedimento erit magno. His eisdem rationibus neque præsente inflammatione, neque calida & sicca existente totius corporis intemperie, hepatísque præcipuè, ex vsu esse poterit. Poterit autem vbi

vel hepatis vel lienis obstructio affectum produxerit: veluti etiam cùm ex venenatorum morsibus aut deleteriorum pharmacorũ potu, aut propter facultatis secreticis imbecillitatem exortus fuerit. Postremo enim hoc in casu ea requiruntur potissimùm auxilia, quæ calorem naturalem cuiuscunque nostri corporis operationis opificem roborare firm aréque apta nata sunt: ad quem vsum vt conuenienti victus rationi primæ dandæ partes sunt: ita theriacam posse eidem necessitati multa ex parte satisfacere iam sæpius diximus. At ex venenatorum animalium morsibus excitatam ictericiam vnam ipsam theriacã, ad venena euincenda præcipuè inuentam, sanare posse ex his quę antea dicta sunt manifestum est satis. Quod idem de medicamentis deleteriis eundem morbũ producentibus asserere par est: venenosa enim cùm sint, proindéq. dicta deleteria, ab eo potissimùm euincuntur medicamento, quod venena euincere est aptum natum. Obstructione verò in causa existente, siue in vesica fuerit fellea, siue in hepate vel liene, aut vbicunque, theriacam tanquã attenuans abstergénsque medicamentum præstò esse, nulla, arbitror, eget demonstratione. Sunt hęc, mea quidem opinione, huiusmodi, vt magni Medici, qualis Andromachus fuit, sententiam è vestigio confirment. Certior autem redditur Galeni, eiúsque qui librum de vsu ther. ad Pamphil. scripsit, Aetij & Haly Abbatis, theriacam vt optimum huius morbi auxilium commendantium, authoritate adiecta. Quòd si calamintha icterum sanare apta est, Galeno magistro lib. 7. de simpl. med. facult.

cap.

cap. proprio, quantò magis theriaca, quæ & calamintham & cum ea pleraque alia deobstruentia medicamenta continet. In eo medicamento maximam reposuisse fiduciam aduersus hunc morbum Asclepiadem Galenus retulit, lib. 9. de cōp. med. sec. loc. cap. 1. quod Amygdalarum mundatarum drachm. iiij. Anisi, Absinthij, vtriusq. drach. j. Nardi Indicæ, Asari, vtriusque totidem recipit, in pastillos deinde ex arte redactum. In theriaca igitur, hæc eadem & alia fortiora continente medicamenta, maior vtique est reponenda fiducia. Porrò ex hac contra icterum morbum commendata ab Andromacho theriacæ facultate, aliis quoque morbis eandem cum ictero causam habentibus eadémque viscera lædētibus idem medicamentum aduersari collegerunt Galenus cæterisque proximè scripti Authores, hepatis inquam lienisque obstructionibus & scirrho, cæterisque etiam, vt inquit Auicenna, duritiebus extrinsecis. Rectè sanè hæc omnia. Quid autè his subsequentibus carminibus sibi voluerit Andromachus, quæret dubio procul diligentior aliquis:

His positas nolunt miseri contingere mensas,
Nec si quis vitæ tempora longa daret:
Sed sibi dissimiles oculis, animiq; dolore
Contemnunt Medicæ, quis putet? artis opem.

Clarū etenim vndique est, de eis qui Regio morbo laborant locutū adhuc fuisse Andromachum. In eo ipse totus sum vt credā his carminibus Regium illum morbum qui à melancholico succo exortus est subinnuisse Andromachum, eius effectibus descriptis. Aretæus enim ille Cappadox,

quem vbique Galenus multi fecit, libro primo de sign. & cau. diuturn. morb. cap. 15. planè acerbum esse morbum huiusmodi dixit, cuius color specie horribilis est, & qui eo laborant, inquit, imbecilli sunt, desides, tristes, atque demissi animo. Hoc igitur illud est quod dixit Andromachus, esse eos qui hoc affectu laborāt sibi dissimiles oculis, propter vitiatum colorem oculorum præsertim: redundante verò in corpore succo melancholico, ipsi quoque animo infertur læsio, mœréntque ideò & tristes sunt ac demissi animo, cibúmque renuunt & medica omnia auxilia.

ADVERSVS HYDROPEM VALERE THERIACAM.

Caput Decimum.

SEQVITVR ex ordine Hydrops, malus quidē & pertinax morbus, quem à regia hac Antidoto euinci pellíque omnino posse his carminibus enuntiauit Andromachus:

Inuadet quoties Hydrops mala, corpora liuor
Inficit, hac fies liber ab Antidoto.

Liuescere corpora hydropicorum longè manifestius est, quàm vt pluribus debeat demonstrari. At tantæ facultatis esse theriacam, vt morbum huiusmodi pellat prorsus, aliquam, mea opinione, habet dubitationem. Inde autem dubitationis occasio enascitur, quia & ratione & experientia in consilium adductis vix morbum hunc sanabilem

bilem enũtiare possumus: quia cùm extremã insequatur hepatis refrigerationem, vt Galenus docuit lib. 2. de nat. facult. cap. 8. ex necessitatéque id fiat, posse iterum ad pristinum caliditatis statum viscus illud reduci neque ratio promittit, neque experientia confirmat. Certius quoque insanabilitatis huius morbi argumentum est, si à scirrho hepatis morbo nimirum penitus deplorato ortum ducat Hydrops. Hic quidem si siccus fuerit, vt inquit Hippocrates, & ventrem habuerit ob flatus tympani modo resonantem, Græcorum omnium Medicorum consensu (quicquid Auicenna secus senserit) est magis lethalis. Quanquam itaque viscera imbecilliora firmare roboraréque, eadémque frigida effecta excalefacere, deobstruere, excrementosos humores absumere, & flatus discutere apta sit theriaca, hísque qui hoc affectu laborant auxilio esse dicatur: quòd tamen sanet, quæ dicebantur non admittunt. Nolo ipse eorum sequi placitum, qui sanationis nomen largè adeò accipiũt, vt quencumque bonum effectum, quisquis ille fuerit, eum significare velint: nam certiorem habeo responsionem. Est Hydrops quidam adhuc non confirmatus, sed incipiens tãtùm, alius omnino factus & confirmatus. Est item qui sanguinis retẽtionem in causa habet, vt in muliebribus menstruorum, in viris hæmorrhoidum: alius verò qui alias habet causas. Incipientem quidem non adhuc confirmatum Hydropem, si multam adhibueris diligentiam, est quod plenè sanare te posse speres, theriacæ præsertim auxilio: confirmatum verò, quæuis fuerit qua vtaris diligentia,

non eſt vt ſanationem abſolutam tibi promittas. Pariter & ob retentam ſanguinis conſuetam euacuationem factum Hydropem ſe probè ſanaſſe Galenus cum Eraſiſtrato diputans affirmat, ſanguine præſertim miſſo: quo in caſu & præſtò eſſe poteſt theriaca, quæ, vt poſtmodum audiemus, retentos menſes mouere, & hæmorrhoidum fluxum prouocare maximè valet. Quæ diximus pro huius difficultatis ablatione, ea à Galeno accepimus, cùm lib. 4. de rat. vict. in acut. com. III. tum libro de venæ ſect. aduerſus Eraſiſtratum cap. 5. & 6. Sanationis porrò cauſa eam rationem habet, quòd morbo tantummodò incipiente ſanguiniſque copia calorem obruente ad extremam refrigerationem adhuc non eſt deductum hepar, eiúſque proinde vitium curationem admittit: & ſanationem non admittit, cùm extremè refrigeratum eſt, túncque aliquid auxilij tantùm, perfectam ſanationem nequaquam ab ipſo theriacæ vſu ſuſcipere poteſt. Per hæc igitur quatenus Hydropem ſanet theriaca intelligere nobis datur, Andromachúſque à calumnia, & Galenus à contradictione vindicantur. Cæterùm quæ de vſu huius antidoti aduerſus Hydropem in medium attulit Andromachus, ea à Galeno & ab eo qui lib. de vſu ther. ad Pamphil. ſcripſit, ab Aetio, Actuario, & Myrepſo locis ſæpius in hunc vſque locum ſcriptis confirmantur.

VISVS

VISVS DIMINVTIONEM CVR INSTAVRET THERIACA.

Caput Vndecimum.

NVNC ad visus hebetudinem nostra conuertatur oratio, quam theriacę vsu instaurari, hunc in modum scripsit Andromachus:

Hinc hebetes oculi sibi pristina lumina sument.

Duobus nominibus exprimitur à Græcis Medicis affectus hic, quem Latinus interpres per oculi hebetudinem significauit, ἀμαυρώσεως καὶ ἀμβλυωπίας, inter quæ illud discriminis constitutum est, vt absolutum visus impedimentum nulla manifesta læsione in oculo apparente, sed pupilla planè pura atque incolumi, significet ἀμαύρωσις: solam autem visus diminutionem, pura pariter atque incolumi existente pupilla, ἀμβλυωπία. De posteriore hac affectione locutum præcipuè fuisse Andromachum, & Græca lectio ostendit, quæ in codice Basiliensi habet, ἀμβλέειαν ὀπωπλῶ, & communis populi sententia confirmat, quæ priorem affectum cæcitatem potiùs appellat. Nisi fortasse dixisse præstiterit, eam dictionem vsurpasse Andromachum, quæ metro ipsi magis arrisit, nulla nominis suscepta cura: quando easdem habeat vterque affectus causas, secundùm magis & minus tantùm inter se differentes, requirántque ideò similem curationem. De hac re locuti sunt ex professo Paulus & Aetius: hic tetrab. 2. serm. 3. cap. 48. ille lib. 3. cap. 22. idque satis apertè testati sunt, vt scilicet communes sint vtriusque affectionis

causæ, in eo tãtùm diuersæ, quòd ἡ ἀμβλυωπίας causæ sint imbecilliores: causarum autem istarum alias latentes esse dixerunt & internas, alias externas, vt frequentes cruditates, crapulas, insolationem, capitis inustionem, ardorem, refrigerationémve, aut multam lectionem à cibo, aut balnei vsum post cibum, vomitiones, & concubitus immoderatos intempestiuósque, spiritus violentam cohibitionem: à quibus omnibus & singulis caput valdè repletur. Atque ex hac capitis repletione vel alterantur spiritus visiui, vel humores aut tunicæ oculorum vitiantur: id quod pluribus modis fieri potest, crassitie nimirum, penuria & imbecillitate spiritus visiui: corrugatione & densitate tunicæ, obstructione à crasso & viscoso humore alicubi impacto, cuiusmodi sæpe contingunt ex longo morbo, mœrore magno & senectute. Súntque hæc hunc in modum intelligenda, vbi paulatim affectio fiat. Nam si repentè vnóq; impetu incidat, in causa esse volunt nerui visiui optici docti obstructionẽ à crassis & viscosis humoribus subitò illapsis, aut eiusdem nerui resolutionem. Sunt hæ itaque harum affectionum causę inter se adeò diuersæ & contrariæ, vt non omnes theriacæ vsum admittant. Quæ frigiditatem, humorum crassitiem, imbecillitatémque fecerunt causæ, eæ multæ ætatis theriaces vsum admittunt, ceu optimum. Quæ caliditatem induxerunt, non item. Quanquam enim aliquando refrigeret & quidem strenuè theriaca, eo tamen tempore sua vi obstupefaciente collectos in capite & partibus oculi excalefacientes humores fortasse magis impingeret.

pingeret. Porrò aduersus causas huius affectionis frigidas valere theriacam, vbi vi prędita fuerit excalefaciente, rectè statuisse Andromachũ, & clarissimorum Medicorum idem attestantium testimonio, & ex multis quæ visionem adiuuant in compositionem receptis medicamentis confirmatur. Galenus, Aetius & Haly non inualidam ad visum hebetem instaurãdum vim habere theriacam apertis verbis testati sunt. Suscipit deinde illa in compositione semina fœniculi, cuiũs vim miram ad visum acuendum inde colligebat Andromachus, dum viperinos cõponeret pastillos, quòd hæc serpẽtes acriùs cernere faciant: suscipit etiam Scillam, Agaricũ, Crocum, Dictamnum, Stęchadem, Marrubium, Gentianam, Anisum, Apiúmque: quæ omnia & singula peculiari quadam virtute aduersus frigidas oculorum affectiones prædita esse vel ipsius Dioscoridis testimonio constat. Videat qui voluerit plerasque ad visum acuendum recitatas à Galeno compositiones lib. 4. de comp. med. sec. loc. & in his omnibus ac singulis horum medicamentorum aliquod vel plura contineri inueniet. Ex his autem ad omnes oculorum affectus frigidos visum quoquomodo impedientes, commodum auxilium esse theriacam manifestum esse credimus.

PHTHISI INCIPIENTI QVA RATIONE OCCVRRAT THERIACA.

Caput Duodecimum.

HAc *Phthisis incipiens victa recedit ope.* inquit Andromachus. Maxima mehercule antidoti istius laus est, quæ morbũ adeò difficilem vti Phthisis est, vincat & superet. Quatenus verò morbum huiusmodi vincat & superet, eiusdem ostendit natura, & specierum conditio. Si nomen hoc Græcum φθίσις, spectes, extenuationem quamque & corporis quamlibet imminutionem tibi significabit, quemadmodum apud Hippocratem legitur in lib. de Natura humana. Celsus ob id cap. 22. lib. 3. vnam esse phthisis speciem dixit, qua corpus non alitur, & naturaliter semper aliquibus decedentibus, nullis verò in eorum locum subeuntibus, summa macies oritur, nisiq́ue occurratur hominem conficit. Dicitur autem à Græcis ἀτροφία, sub qua specie eam collocari tabem dubio procul dicẽdum est, quã capitis destillationem consequi Galenus statuit 3. in 3. Epidem. com. 32. In specierum phthisis pariter numero cachexiam idem Celsus eodem loco reposuit. Tertiam esse dixit quæ Pulmonis vlcus habet, propriè sanè à Græcis φθίσεως nomine appellata, quã Athenienses, vt Galenus admonet 7. aphor. com. 16. φθόλω nuncupare consueuerunt. Sed eos quoque qui natura proni sunt ad hunc pulmonis affectum tabidos appellasse Galenum constat, 3. aphor. com. 4. 8. 10. & 13. & primo in primum Epidem. com. 18. qui idem aliquando se vidisse

se vidisse testatus est (quod idem alij pleriq; obseruarunt) sine pulmonis vlcere, à calida & sicca eius visceris intemperie aut febre hectica eiusdem corpus contabescere, & hanc impropriè phthisim dici nulla, vt ipse sentio, eget demonstratione: queadmodũ & impropriè omnino tribui phthisis nomen quisque fatebitur pupillæ oculi angustiori, hebetiori, obtusiori, rugosioríque effectæ, veluti & Hippocrates 6. aphor. 60. Galeno id referente in introduct. libello cap 13. tabis cuiusdam coxendicum meminit, ἰσχιαδικὴν vocans, qua in suppurationibus circa os sacrũ accidentibus corpora colliquescunt: similiter alterius renum cui νεφριτικὴν nomen dedit. Modò an cuilibet ex recitatis phthisis speciebus occurrat theriaca, præsentis profectò est speculationis. Id autem manifestũ fiet, si cuiusq. causas inquisiuerimus, quarum ratione huius antidoti facultates cognoscẽtur in eis conuenientes vel inconuenientes. Sed quid in eo sanando morbo laboramus, qui sua natura insanabilis est? eiusmodi esse phthisim quamque & ratio suadet, & magni scriptores attestãtur, & experientia cõfirmat. Verè tabidum, quomodocunque aut quauis ex causa tabidus euaserit, neq. sanatum ipse vidi, neq. sanatum intellexi. Blaterent & obloquantur quicunque voluerint, séq. id præstitisse glorientur: iis certè & magni Medici sua authoritate, & ratio sua certitudine aduersantur. Galenus in libello introductorio, loco proximè scripto, de tabe ex pulmone sermone instituto: difficilis, dixit, aut nulla eius est salus. Pulmonis vlcera ad quã sanationis speciẽ reducantur, à no-

bis oſtenſum eſt in cõtrouerſiis, & ad optimã ſanitatem ea nunquã reduci demõſtrauimus. In lib. de Coacis prędict. partic. 3. periculoſiſſimę cõſtituuntur tabes, quæ præſertim à ruptione venarum craſſarũ & à defluxu à capite cauſam habẽt, & qui lib. de morbis primũ Hippocrati adſcriptum ſcripſit: tabes, dixit, neceſſitatem habet vt interimat. Sed Galenus lib. de Marcore cap. 6. verè tabidos minimè ſanari poſſe enũtiauit, Philippũ in eo redarguens, quòd nonnullos ex iis qui verè marcuerunt ſanari poſſe exiſtimaret. Hoc idẽ ratio cõfirmat, quia impoſſibile ſit deperditas in tabidis ſolidas partes (quæcũq. fuerit morbi cauſa ſiue ſpecies) deperditámq. caloris natiui ſubſtantiam reſtaurare: quod ita ſæpe Galenus affirmat, vt nihil ſępius. Huc ſanè reſpiciẽs Andromachus, ne fortè nimis ſuę cõpoſitioni aſſentiri videretur, incipiẽtẽ tãtùm Phthiſim, non planè abſolutã ſanare illã poſſe affirmauit. Huius eiuſdem opinionis fuiſſe Galenũ legere eſt lib. de marcore loco proximè ſcripto, vbi de tabe in vniuerſum verba fecit. & de hectica febre ſerm. inſtituto lib. 1. de differ. febriũ cap. 9. eſſe dixit omnium febriũ hecticarum diſpoſitionem difficilẽ, vbi iam principij tempus præterierit: cuius rei eam eodem loco reddidit rationem, quòd cùm naturalis cordis tẽperies primùm euerti cœperit, natiua humiditas neq. protinus abolita eſt, neq. virtus plurimùm laborat, ſed primò fit velut quædã efferueſcẽtia humiditatis, quo in tẽpore facillimũ eſſe exiſtimauit, huiuſcemodi febrem ſanare, tanquã nihil adhuc virtute perpeſſa: quẽ in ſenſum eæ omnes ſententiæ accipiendæ ſunt,

ſunt,quibus tabidos ſanari poſſe enuntiauit. Porrò an cuilibet etiam incipienti phthiſi (ſumitur enim hic & à nobis nomen hoc in ſuo vniuerſaliori ſignificatu) conueniat theriaca, cauſarum eius ſpeculatio,vt dicebamus,indicabit. Quoniam autem multiplices admodum ſunt cauſæ eiuſmodi, quas omnes & ſingulas hoc loco enumerare nimis fortaſſe longum eſſet:aliquas propterea tãtùm in exemplum adſcribere ſufficiet:ex quibus, quid de quauis alia dici poſſit,colligat ex ſe quiſque facillimè.Si Atrophiæ, quæ primum phthiſis genus eſſe dicta eſt,cauſa fuerit caloris natiui ex frigida intemperie debilitas, hanc theriacæ vſu ſanari poſſe iri haud poteſt inficias. Catarrhum itẽ à capite deſcendentẽ & Atrophiam facientẽ,ſine craſſus fuerit & frigidus,ſiue ſubtilis & ſalſus, à theriaca euinci poſſe certum eſt : ab ea quidem excalefaciente & exiccante craſſus frigidúſq. attenuabitur catarrhus,& abſumetur, cerebríq. intẽperies corrigetur:ſubtilis autem & ſalſus qui fuerit,ab eadem refrigerante incraſſabitur & corrigetur iuxta Galeni cõſilium,matronæ illi Romanæ non ſemel antea commemoratæ medicinam facientis.Si pariter menſium ſuppreſſio Atrophiã fecerit:theriaca,attenuando,exiccando, deobſtruendóq.optimum erit auxilium.Si latus vermis eãdem fortè fortuna produxerit affectionem illum à theriaca enecari,& corpus deinde renutriri teſtatus eſt Galenus libro de ther.ad Piſon. cap. 15. Intemperies calidas & ſiccas tabem facientes à theriaca corrigi poſſe vix eſt vt tibi perſuadeas, etiam ſi refrigerantem adhuc retinuerit facultatẽ

quę quoniam obstupefaciens est, longus propterea eius vsus, ad longos hosce morbos sine dubio requisitus, tutus non est. Cachexiæ verò (quam secundum phthisis genus à Celso constitui audiuimus) maximo auxilio esse theriacam, proximè præcedenti cap demonstrauimus. At propriè dictam phthisim, pulmonis vlcus insequentem, siue incœptum iā vlcus sit, siue immineat tātùm, theriacam sanare posse illud ostendit, quòd causæ eius, quæcūq. illa fuerit, occurrat, incœptúmque vlcus exiccare abstergereque apta sit. Galenus in li. de ther. ad Pison. cap. 15. illis qui sanguinem expuunt, quos in phthisis initio esse dixeris valde prodesse theriacam scripsit, siquis solidaginem herbam elixet, & in eius decocto theriacam soluat: quod pariter in lib. de viu ther. ad Pamphil. legitur, Damocratésq;, Aetius, Actuarius, Auicenna & Haly scripserunt. Idipsum autem ratione minimè carere credendum est, quoniam quæcunq. fuerit sanguineæ expuitionis occasio, theriaca ipsa, potissimùm cùm refrigerare apta est, ei obstare maximè valet, sua scilicet vi obstupefaciente sanguinem erumpentem sistendo. Dum verò simul ac semel exiccat, venam sanguinem emittētem occludit. Tabem quoq. illam, quæ coxendicum dolorem & quæ renum vitium insequitur, posse theriacam sanare inde manifestū est, quòd morbis eisdem eam aduersari in sequentibus demonstrabitur. Qua itaque ratione incipiētiphthisi occurrat theriaca, vt dixit Andromachus, ex his manifestum puto.

CON-

CONVVLSIONI QVARE ADVERSETVR THERIACA.

Caput Decimum tertium.

ANdromachum porrò his ex ordine subsequentibus carminibus,

Sola potest in se collectos soluere neruos.
Pendula tunc aliquis, tentáue colla gerit.

de conuulsione sermonem habuisse, & Latina & Græca lectio insinuant: τετάνοιο σπάσματος, ὀπισθοτόνου, habet Græca lectio: súntque tres conuulsionis species. Collectione verò neruorum conuulsionem vniuersaliter intellexit Latinus interpres: collũ autem tentũ ij habent qui tetano laborãt: pendulũ qui Opisthotono, vel Emproprosthotono. Huius affectus causas omnes ad duo tantùm capita reduxisse Hippocratem cõstat: ad inanitionem scilicet & repletionem: quam sententiã Galenus lib. 2. de cau. sympt. eiusdem numeri cap. confirmat, & eleganti chordarũ similitudine manifestat. Vt enim, inquit, vel nimio humore imbutæ chordæ, vel vehemẽtiùs reficcatæ tendũtur contrahuntúrq. vt interdum etiam rũpantur: sic & nerui afficiuntur, atq. ita tensi musculos adducũt. Ad inanitionẽ spectant, febres ardẽtes, Hellebori potio, immodica sanguinis profusio, vigiliæ, inedia, & quæcunq. corpus vehemẽter exiccãt: ad repletionẽ, verò ebrietas, crapula, cõsuetæ sanguinis euacuatiõis suppressio, intermissa exercitia, phlegmone, & q̃ eã consequũtur, dolor nẽpe mortiferq. præterea & flatus spectãt. Profectò causarum ista-

rum enumeratio, quibus in casibus ex vsu sit theriaca, nobis insinuat, cùm in aliquibus sit illa nocitura potiùs quàm profutura. Ex febre ardenti causatam exiccatione media conuulsionē theriacæ vsu exacerbari omnino necesse est, siue infrigidantis, siue excalefacientis illa fuerit facultatis. Calidissimum enim affectum simulatq. siccum ab excalefaciente insigniter & exiccāte medicamēto lōgè magis augeri, notius esse puto quàm vt pluribus debeat demōstrari. At quoniam febri cuiq. putridę obstructiones adiici certum est: obstupefacientis medicamenti vsu eas & febrem consequenter augeri est pariter manifestum. Hellebori potio conuulsionem cùm fecerit, si medicamentum adhuc euacuare contingat, exhibita theriaca eius vires infringi & euacuationem cohiberi in superioribus docuimus: at repressa iam euacuatione, maximè noceret illa. Idem dicendum nobis videtur de immodica sanguinis profusione conuulsionem faciente: quæ si adhuc perseueret, ab ipsa theriaca vim refrigerantem adhuc retinente sistetur protinus. Nocebit hæc eadem, quemadmodum etiam si vim excalefacientem iam induerit, sanguine ampliùs non fluente. Vigiliarum pariter perdurantium laudatissimum remedium erit refrigerans theriaca: nocētissimum è contra, vbi desierint. Harum exemplo causarum de quacunq. alia corpus vehementer exiccante non multo negotio disserere quilibet poterit. Crapula & ebrietas conuulsionem faciens non alia ratione à theriaca euincitur, quàm somno inducto, cuius medio soluuntur: ita vt refrigerans sit illa eligēda.

Sup-

Suppressam euacuationem consuetam, si ab obstructione prouenerit, theriacę auxilio auferri, indéque exortam conuulsionem sedari, quæ hucusque de aliis morbis dicta sunt manifestũ faciunt, & quæ de vi theriacæ ad suppressos menses euocãdos dicemus deinde, confirmabũt magis. Quid porrò causæ sit, vt ab vno eodémque medicamento & suppressus sanguis euocetur, & effluens supprimatur, Galenus ipse re huiusmodi in admirationem priùs ducta declarauit lib. de ther. ad Pison. his verbis: Recorderis enim dixisse nos in præcedentibus, antidoti huius virtutem multiplicem ac variam esse: atque ideò quædã egredi facit, cùm ea attenuet atque diffundat: quædam ob imbecillitatẽ virtutis immodicè prodeuntia supprimit, corporum vires instaurans. Adde si lubet, excalefacientem theriacam posse ducere retentũ sanguinem: refrigerantem verò, fluentem sistere. Intermissæ exercitationes crassos & viscidos humores gignunt sæpissimè, qui conuulsionem cùm fecerint, ab excalefaciente & exiccante theriaca possunt absumi. Si phlegmonem dolore & morsu mediis conuulsionem excitare cõtingat, refrigerantem theriacam & dolorem & morsum placare sæpius hucusque ostẽsum est. At flatus ipsos, quomodocunque in neruis concludantur, (possunt enim vel in illis gigni, vel aliunde influere) & eos contrahãt, à theriaca potentissimè discuti & aboleri quæ de eius vi in Hydrope tympanite dicta paulò superiùs sunt confirmant. Cæterùm prætereundum non est malignos sæpe morsus à venenatis animalibus inflictos, veluti & è maligna

humorum quadam qualitate exeuntes vapores, conuulsionem interim excitare, cuius affectus singulare auxilium esse theriacam ex iis quæ de serpentum morsu dicta sunt manifestè constat. Nolo in iis enumerãdis medicamentis theriacam ingredientibus, quæ neruis afflictis peculiari quadã virtute opitulantur, frustra tempus conterere: sit hoc quandoquidem cuique inuentu facillimum. Dicam tãtum modo Galenum Actiúmque idem cum Andromacho sensisse, & aduersus conuulsionem cõmendasse theriacam vt optimum auxilium. Hi iidem vnà cum Actuario & Auicenna Paralysin à theriaca sanari vltrò adiecerunt: quod ea, opinor, de causa Andromachus reticuit, quia eadem penè sit ratio neruorum resolutorum sanandorum, quæ & contractorum. Hoc Galeni placitum fuisse scimus lib. de ther. ad Pison. cap. 15. his verbis explicatum: Neruorum autem vel contractiones vel distensiones non aliter multoties curauit theriaca, neruos excalefaciens, & eorum tensiones remittens, quàm membrorum resolutiones sæpenumero sanauit, quoniam naturali excitato calore & spiritus in pristinum statum reduxit, & membris solidas motiones restituit. Causas paralysis contempletur quisque pro arbitrio, rémque sic se habere inueniet. Profectò antiquorum Medicorum doctrinæ dos præcipua & laus incomparabilis est hæc, vt ad plura possint eorum dogmata diduci. Quod inde quoque manifestius euadit, quoni &ã ad particulares particulariũ membrorũ resolutiones & cõuulsiones doctrina huiusmodi diducatur. Nã cũ ad musculos pro-

propriè pertineat cõuulsio, pro musculorũ differentiis varias facit & differentes cõuulsiones, vniuersales scilicet & particulares. De vniuersalibus quæ hucusq. dicta sunt rem totã, quãtum quidem ad præsens institutũ pertinet, manifestam faciunt. At particulares ex particularium musculorum & neruorũ differẽtiis sunt, quarũ aliquę propriis etiã sunt donatæ nominibus: σραβισμὸς in oculo, τρισμὸς in mãdibula: κιωνικὸς σπασμὸς in ore, σατυρίασις in pene. Hæ itaq. cùm easdem cũ vniuersalib⁹ habeant causas, iisdem quoq. expugnãtur auxiliis. De virtute itaq. theriacæ aduersus conuulsionẽ & resolutionem hæc hunc in modum se habent.

TVMOR FRIGIDVS MEMBRANÆ PVLMONES AMBIENTIS QVA de causa à Theriaca sanetur.

Caput Decimumquartum.

Nec sinit vt membrana leues quæ pectore ab imo
Sepsit Pulmones, victa tumore premat.

PVLMONIS affectum his carminibus explicuisse Andromachum, omni ex parte manifestum esse sentio. Quis autem is affectus sit, non item. Membranæ quidem Pulmones succingentis tumor enuntiatus est: quis tamen morbus sit tumor huiusmodi, & quo nomine veniat appellandus, non satis constat, vtque constet conuenit, si inuenienda ratio est, quãobrẽ ei aduersetur theriaca. Omnia ea quę in thorace cõtinẽtur cuiq. illius parti colligari, & omnia mẽbranis vndiq. obductis tegi scripsit Galen. lib. 6. de vsu part. c. 3. Quæ verò costas

ſuccingit mēbrana ipſos pulmones ambiens, hæc eodem authore lib.5.de loc.patien.cap.3.neruoſa eſt & fortis, atque diuidi contumax. Vbi eam tumore aliquo affici contingat, ob maximam cum pulmonibus propinquitatem illos premit. Tumor hic ſi inflammationem fecerit calidos humores continens, pleuritis dicitur. At ſi à frigidioribus excitatus fuerit humoribus, frigidus dicetur tumor, peculiari alio carens nomine. Hoc idem de aliis membranis ad pulmones quomodocunque pertinentibus affirmare par eſt, quas tumore aliquo affici interim poſſe certum eſt: quare & pulmones ipſos premi neceſſe eſt, vtque dicebat Galenus lib. 4. de locis patientibus cap.8.& grauitatis ſenſum, & aliquando extenſionem quandam, vel ad os pectoris vel ad ſpinam peruenientem, percipiunt ægrotantes: Ibi enim, inquit, membranæ ipſum ambientes ſuſpenduntur: ſæpenumero etiam, ſubdit, anguſtia moleſtantur laborantes, atque ob hoc crebrò celeritérque ſpirant, ac thoracem vehementer attollunt, ſed non ita multum aërem attrahunt. Hæc ſi citra febrem acciderint, aut crudum tuberculum, aut lētorum craſſorúmve aut quorundam aliorum humorum plenitudinem declarāt. Tumor igitur à frigida materia excitatus, in earum membranarum aliqua quæ pulmonibus adhærent, conſiſtens & premens, is eſt morbus quem recitatis carminibus nobis explicuit Andromachus, eo ſcilicet nomine appellandus, quo & tumor ipſe. Excepti ſumma ratione ſunt calidi tumores: quippe qui theriacam neque refrigerantem, neque excalefacientem admittūt.

Refrige-

Refrigerando nanque insigniter, vt facit in suæ ętatis primordiis, obstupefacit simul: ideóque spirandi difficultatem maximè augeret, & ægrotantem suffocaret. At cùm excalefaciens est, febrem pariter augeret. Frigido è contra existente tumore, ad eã ætatem si peruenerit theriaca, in qua excalefaciẽtem est adepta vim attenuat, digerit, abstergit, deobstruit, absumit & exiccat strenuè: quę omnia in huiusmodi huius partis tumore ex necessitate requiruntur. Confirmant Andromachi sententiam quæ de respirationis difficultate theriacæ vsu sananda proximè dicebantur. Atque fortasse his acquiescentes Galenus & alij antiqui Medici, qui de theriacæ viribus disseruerunt, nihil prorsus de tumore isto locuti sunt, quia in his quæ de Asthmate dixerunt proculdubio cõtineretur.

VESICÆ EXVLCERATÆ QVA RATIONE SVCCVRRAT THERIACA.

Caput Decimumquintum.

QVÆ subsequẽter scripta sunt ab Andromacho carmina hæc:

Hac etiam magno vesica dolore leuari
Horrifici stimulis vlceris icta solet.

de vesicæ dolore sermonem eum habuisse manifestè ostendunt. An modò vesicæ quoque vlcus sanare theriacam posse ille voluerit, aliqua, opinor, eget declaratione. Profectò si solus dicendi modus inspiciatur, sola doloris mitigatio videtur ab Andromacho cõmemorata. At Galenus libro

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-29974-p0551-9 DFG

de ther.ad Pison. cap.15. vesicæ vlcera sæpe à theriaca fuisse sanata affirmauit.Idem senserunt Damocrates, Aetius, Actuarius, Myrepsúsque. Sed Auicenna & Haly relicto vlcere solos vesicæ dolores commemorarunt. Visus est pariter ipse Galenus 4.aphor.com.76. medicamentorũ tenuantium vsum in vesicæ vlcere non approbasse: imò videtur Aetius inter morbos insanabiles potiùs quàm sanabiles hunc enumerasse, tetrab.3.serm. 3.cap.29.hoc idem experientia ipsa confirmante. Cæterùm si paulò diligentiùs res hæc consideretur, vesicæ vlcus à theriaca sanari posse nõ est impossibile.Exiccãtia abstergentiáque medicamenta vlcus omne requirit, quæ duo præstare optimè theriacam posse non semel antè docuimus. Hæc si excalefacientis fuerit facultatis, partis sua natura frigidæ vlcus sanabit promptiùs: si refrigeret adhuc,dolores in hoc affectu assiduos & molestissimos obstupefaciendo mitigabit, quemadmodũ & mordaces humores refrigerando attemperare, excalefaciendo absumere valens est. Suscipit adhęc in compositione medicamenta pleraque,quę adstringendo exiccandóque peculiari quadam facultate aduersus hunc affectum,prædita sunt:Rosas dico,thus,Rhaponticum, Gramen, Phu, terram Lemniam, Chalcitin, Gummi, succum Hypocisthidis & Bitumen. Quoniam verò cùm ob partis longinquitatem, ad quam supernè sumpta medicamenta vix pertingunt: tum ob naturalem quandam eiusdem imbecillitatem, assiduúmque ferè motum in lotio emittendo,non ita sæpe euenit,vt hic morbus sanetur:sitque admodum difficile,

cile cùm in excalefactione, tum in refrigeratione medium quoddam, quod non offendat, inuenire: non ſemper propterea veſicæ vlcus à theriaca ſanari dixerunt recitati ſcriptores, ſed aliquando tantùm. Hoc ego de eo veſicæ vlcere interpretor, quod leue eſt & recens, nõ magnum & antiquum. Quod verò ad Andromachum attinet, eum ſolius doloris mitigationem commemoraſſe dixerim, quia vlcere conſolidato dolorem leuari neceſſe ſit: quod idem de Auicenna & Haly affirmo. Neque Galenus 4. aphor. 76. in omni vlcere veſicæ tenuantia damnauit medicamenta, ſed in eo tantùm, quod eius magnitudinis eſt, vt veſicæ diſſoluatur ſubſtantia: quod quidem inſanabile proriſus eſſe verè dixeris. Neque Aetius veſicæ vlcera omnia ſempérq. inſanabilia dixit, ſed vt plurimùm tantùm. Cæterùm non ea vna ratione quòd vlcus ſanet interim theriaca, veſicæ dolores leuare eam poſſe dixerim: ſed quoniam etiam in vlceribus illis quæ ſanitatem non admittunt dolores mitigare perpetuò valeat. Quales ſint ex veſicæ vlcere dolores, pluribus explicarũt Paulus & Aetius: hic loco proximè ſcripto, ille lib. 3. cap. 45. acuti ſcilicet, omni tempore, maximè verò in emiſſione lotij & puris exitu affligentes. Ab his ſanè tantopere vexari miſeros ægrotantes videre eſt, vt mortem quauis hora appetant: tantíque atque admodum aſſidui tormenti cauſa flacceſcũt eorum vires vel maximè: ita vt ad anodyna medicamẽta neceſſariò deueniendum ſit, inter quæ recentem theriacam non infimum retinere locum iam ſæpius audiuimus.

VENERIS IMPOTENTIAM EX PENIS FLACCIDITATE ENATAM quare soluat theriaca.

Caput Decimumsextum.

INTER causas veneris impotentiam facientes penis flacciditatem siue ipsius ineptiam ad erectionem enumerarũt, Aetius tetrab.3 serm.3.cap. 35. & Paulus lib.3. cap. 58. eiusdem partis resolutionem tanquam potissimam huius affectus causam statuentes. De hocu affect Andromachum his carminibus locutum fuisse constat:

Sola potest clausos penis reserare meatus,
Irrita quos vrit sollicitátque venus.

Porrò à frigida intemperie resolutionem dictæ partis prouenire satis clarum est. Hæc vel partem ipsam adeò refrigerauit, vt influentes ab arteriis vaporosos spiritus erectionem, vt Galenus docuit lib.6. de loc. patien. cap. 5. facientes recipere nequeat: vel genitis crassioribus & frigidioribus humoribus meatus per quos transeunt recitati spiritus obturantur, eorúmque transitus impeditur, & propterea erectio fieri nequit. Sanè verò pessimũ malum hoc est, generationi quoque ipsi inimicũ: pro cuius curatione cõmuniter, dicebat loco proximè scripto Paulus, Acopis ad resolutionem commodis vtendum est: calidis siccísque quibus priuatim vtamur præpositis multis medicamentis, quod & sensit Aetius. Theriacam igitur excalefacere & exiccare aptam huic morbo aduersari non ea tantùm ratione constat, quia cuiusque

partis

partis resolutioni opituletur, quemadmodũ paucis ab hinc docuimus: sed quoniam etiam quædam continet medicamenta, quæ venerem excitare posse dicuntur. Piper, Petroselinum, Mel, Euphorbium, Costum, Anisum, radicem Panacis, Cardamoni semina, Iunci flores, styracem, Nardum, Myrrham, Hypericonis semina, Thus, Crocum, Galbanum, Daucum venerem vel maximè excitare scripserunt Paulus & Aetius locis recitatis. Hæc autem omnia & singula theriacæ compositionem ingrediuntur. Iam & Galenus, loco quem sæpius hucusq. adduximus, genitale membrum flaccescens atque vietum à theriaca attolli scripsit. Rectè igitur Andromachus theriacam morbo huic opposuit.

RENVM DOLORES CVR AVFERAT THERIACA.

Caput Decimumseptimum.

Cinxerunt lumbos Renum quandoq; dolores:
Hauriat hæc aliquis pocula, sanus erit.

QVIS morbus is sit, quẽ carminibus listis explicauit Andromachus, nulla prorsus, vt ipse sentio, eget declaratione. Explicandum potiùs est, an cuilibet renum dolores facienti causæ (plures enim sunt) conueniat theriaca. Dolent renes interim inflammati: dolent item exulcerati. Ob concretum in eorum substãtia vel cauitatibus lapidem dolor in eisdem persæpe excitatur, veluti & cùm à crassis viscidis-

que humoribus facta est in illis obstructio. Quin & flatus insignes nonnunquam doloris eorum causa sunt. Primò itaque si dolores istos acutissimos & infestissimos esse contigerit(contingit autem sæpissimè)virtutíque ipsi,indéque & vitæ periculũ imminéat euidens, obstupefacientibus vtendum esse medicamentis nullus nescit. Huius autem facultatis esse recentem theriacã iam pluries audiuimus. Atque huiusmodi vrgente necessitate,nulla causę habita ratione,administrari poterit recens theriaca. Hæc sua refrigerante facultate præsentem eorum calidam intemperiem & inflammationem sedare poterit. Frigida cùm fuerit dolorum causa,híque sua vehementia vitæ periculum non attulerint euidens, excalefacientem theriacam ex vsu esse dicendum est, cuius medio causæ ipsius ablatio,quæ vera est doloris curatio, fieri poterit. Fac insuper Renes esse exulceratos: fac in eisdem concretum esse lapillum, vel etiam obstructionem illos habere,aut multo flatu repletos esse: certè maxima cum ægrotantis vtilitate excalefaciente theriaca semper vteris. Qua enim ratione vesicæ vlcera sanare theriacã posse didicimus: eadem profectò nec prorsus dissimili exulceratos renes ab eadem sanari posse persuademur. Concretos lapides in renibus sua vi attenuante posse theriacam comminuere, & abstergendo eosdem ab omnibus reliquiis expurgare, obstructionésque reserare, & flatus in eis contentos discutere & absumere, iam sæpius assignatæ theriacæ facultates docent. Galenus propterea & cum eo qui lib.de vsu theriac.ad Pamphil.scripsit

Actius,

Aetius, Actuarius, Auicenna & Haly, facultatem huiusmodi aduersus hunc morbum theriacæ tribuerunt. Scio theriacam particularia multa continere medicamēta, quæ peculiari quadam facultate hæc omnia, quæ diximus pro huius morbi curatione necessaria, præstare valēt: quæ cùm cuique cognitu facilia sint, breuitatis causa hic non enumerantur. Cæterùm vt renum lapillos extrudere apta est theriaca: ita & quos vesica continet eiiciet, quādoquidem sint lapillorum ab vtraque hac parte eiiciendorum indicationes eædem. Damocrates propterea in prima theriaces descriptione, vesicæ lapidem conterere theriacam posse scripsit.

EMPYEMATI QVA DE CAVSA OCCVRRAT THERIACA.

Caput Decimum octauum.

QVEM morbum Latini suppurationem vocant, illum eundem Græci ἐμπύημα appellarunt: qui quoniam in quacunque corporis parte factam puris collectionem, siue illud in inflammata parte adhuc contineatur, siue abscessus ruptus sit, significare potest: vniuersalem ideò hanc significationem vt euitaret Andromachus, particulari locutione vsus est hunc in modum:

Sola potest eadem multis accepta diebus
Tollere de læso pectore puris onus.

Imò propriè hoc nomine appellatur inter thora-

cem & pulmonem collectũ pus, quemadmodum docuit Galenus 6.aphor.com.45. & 2. Prognost. com.60. Porrò morbus hic siue ex se genitus sit, siue alteri morbo Pleuritidi, putà Peripneumonię aut Anginæ successerit, eandem requirit curationem, calidis, siccis, abstergentibúsque factam medicamentis, quemadmodum Paulus & Aetius testantur. Exiccandũ enim & cõsumendum vbique pus est, quámq. celerrimè fieri poterit è corpore extrudendum. Hæc omnia pręstabit theriaca satis inueterata, atq; eò faciliùs, quia radicem dulcem, Hyssopum, Iridem, Mel, Thymum, Pulegium, Marrubium, Terebinthinã, Scillam Abrotonúmque recipit: quæ quoniam pectus ipsum expurgare, & in eo collectum pus abstergere, exiccare, & euacuare vel maximè apta sunt, ideò à recitatis Medicis in huius morbi curatione pręcipuè commendantur. Ea tamen conditione, hac inquam lege hæc quæ diximus medicamenta & theriacam ipsam cõmendare par est, vt ad eam corporis consumptionem & siccitatem ægrotãtis corpus nondum peruenerit, quæ exiccantia excalefacientiáque medicamenta renuat, & lactis vsum potissimùm postulet. Hanc theriacæ facultatem Galenum cognouisse constat: qui si his qui difficilem habent respirationem, theriacam subuenire dixit, lib.de ther. ad Pison.cap.15. quando pituita quædam crassa meatibus pulmonis insidens hominem inspirare prohibet, eò quòd ipsam & desiccat & ad expulsionem præparat, cùm & compacta attenuet & tenacia diuidat: profectò hęc eadẽ in pure collecto in thorace nõ admodũ crasso

&

& compacto præstare eam posse concederet. Sed qua ratione libri de vsu ther.ad Pamphil. author tussim nouam & antiquam sedare theriacã posse dixit, eadem & Empyema ab eodem medicamẽto sanari posse diceret, quãdo & in eo tussis adsit, pectorisque expurgatio requiratur. Damocrates idem cum Andromacho sentiens in prima theriaces descriptione hæc scripsit:

Et qui è pectoris sanguinem recessibus,
Aut fæculenti virus excreant sputi,
Feratur vndecunq. sit Pulmò licet.

Idem mea opinione sensit Haly, quando viscerum apostemata à theriaca sanari dixit. Vtcunque autem sit, rationem habemus manifestam, qua collectum pus in pectore illúdq. onerans auferre possit theriaca.

VIGILIIS OCCVRRERE THERIACAM QVOMODO verum sit.

Caput Decimumnonum.

QVi sequuntur ex ordine versus Andromachi, nescio quomodo transpositi ad venena pertinent, & à nobis antea fuere declarata: quare ad ea carmina transeundum est, quæ morbos veneno carentes explicant, súntq. hæc:

Insomnes demum quibus est mos ducere noctes,
Conciliat somnum, peruigilésq. leuat.

Vigilias præternaturaliter hominem affligentes,

hoc loco Andromachum intellexisse certum est. Dicuntur autem præternaturaliter affligere, & in morbi locum constituuntur vigiliæ, quæ eo tempore perdurent obstinatè, quod ad somnum capessendum & quietē corpori tribuendam à natura constitutū est. Tempus autem hoc ipsa nox est, vt ex Galeno colligitur, lib. 6 de tuen. valet. cap. 5. qua præsente vigilias tantopere perdurare vt tota ducatur insomnis, res est ex necessitate præternaturalis, & morbosam causam vt habeat oportet. De somni & vigiliarum causis tanta est inter antiquos scriptores controuersia, vt integri à recentioribus ad rem hanc determinandam cōscripti sint libri: quæ res ad præsens nostrum minimè attinet institutum. Pro eo quod præsenti quærimus loco ea nobis satis sint, quæ de somni & vigiliarū causis naturalibus & præternaturalibus Galenus scripsit lib. primo de cau. symp. cap. vltimo: ex quibus qua de causa vigilias pellere & somnū conciliare possit theriaca, notū fiet. Cerebro exicato, vel etiā calefacto vigilias fieri docet ibi Galenus: quare per humectantia & refrigerantia somnū cōciliari collegit. Ab humore quidē humido somnū cōciliari dicit naturalē, vt à quiete, à cibo, à vini potu & aliis huiusmodi per quæ cerebrum humiditate repletur, qua vtiq. indiget, vbi in multo negotio fatigatum est & siccatū. Non naturalis verò somnus inducitur, inquit, à multo frigido, vt in comatosis & lethargicis videtur, quorum causę capitis humiditas ac frigiditas sunt, vel alterutra per se sola in eo cōsistens, vel ambæ simul iunctæ. Talia igitur, subdit, cùm medicamēta omnia quę

verè

verè ſomnifera ſunt,tum quæ ſic quidem vocantur,inſerunt non ſomnum , ſed Coma & Caron, & totius corporis torporem.Ac quæ quidem duntaxat humectant omnia meritò ſomnifera vocantur:quę verò perfrigerant,nec ſomnum nec indolentiam afferre recte dicuntur , ſed pro ſomno, Coma & Caron:pro indolentia ob perfrigerationis exceſſum,vel prorſus inſenſibilitatem,vel certè ſenſum diminutum. Theriaca igitur vim refrigerantem adhuc retinens poſterioris generis ſomnum conciliare apta eſt, vigente adhuc in ea opij hāc facultatē in ſummo poſſidentis virtute. Quòd ſi quis dixerit refrigerare quidem recentē theriacam,ſed ſimul & ſemel exiccare, vigiliásq ideò potiùs augere debere:Reſpondebimus,exiccare quoq.& Opiū,nec quidē ſegniter,ſomnū tamē petenter inducere.ſua frigiditate quę in sūmo eſt ſiccitatē euincente:de qua re ſatis à nobis cùm dictū ſit priore noſtro ſermone,nō eſt vt in iis hoc loco repetendis fruſtra tēpus cōteramus.Sæpe inquit Galenus lib.de ther.ad Piſon. cap.15. furentiū deliria generoſè ſedauit cōciliato ſomno theriaca, perquem & animi turbulētiam perplexáſq. cogitationes ſedauit.Hic idem Matronæ illi Romanæ ſanguinē expuēti,cùm dormitura eſſet, theriacam circiter quatuor mēſes ante confectā exhibuit:exhibitionis ratione hunc in modū adiecta: Habet enim id ætatis adhuc præualentem Papauris ſuccū,qui in antiquatis ignauior redditur,ideóque & sōnifera eſt, & fluxiones tū ſiccat, tum leniter incraſſat.Qua ex Galeni oratione illud conſtat vel manifeſtè , exiccantem theriacæ facul-

tatem minimè obesse quominus somnum inducat. Sed non placet in re adeò manifesta plus temporis insumere. Consideremus igitur an quæ ad id temporis peruenit theriaca vt excalefaciat, vigilias pariter auferre valeat. Primò quidem ac per se eam tunc id posse, minimè affirmauerim. Vigiliarum tamen causam auferre cùm possit, secundariò & per accidens somnum, mea opinione, inducet. Fac humorem aliquem melancholicum vigilias fouere: hunc à theriaca absumi posse in sequentibus docebimus. Hoc absumpto humore, cessabunt vigiliæ, somnúsque inducetur protinus. Hæc eadem excalefaciendo & exiccando somnum nimium & morbosum auferet sine dubio: quod ex iis quæ de non naturalibus somni causis ex Galeno adducta sunt liquidò constat. Comatis, Cataphoræ, & lethargi curationem totam in exiccatione consistere Galenus vbiq. prædicat. Neque theriacæ facultas huiusmodi adeò manifesta in dubium reuocari vllo modo potest, sed eam fortassis ea de causa reticuit Andromachus, quia contrario his quæ de vigiliis dixerat sensu cuique manifestum id futurum existimauit.

CON-

CONTRA MELANCHOLIAM

CVR OPTIMVM AVXILIVM SIT Theriaca.

Caput Vigesimum.

VLTIMVS sine veneno affligens morbus ab Andromacho enumeratus est Melancholia ipsa, his carminibus explicata:

Morbi certa dabit crudi solatia mane
Sumpta, quibus tristis lux solet esse magis.
Vespere, cui magnos nox aduehit atra labores
Languenti custos atque leuamen erit.

Eo sanè melancholiæ effectu, qui inter eiusdem alios plerosq. miserrimus est & deterrimus, morbum ipsum subfigurauit Andromachus. Tristes adeò sunt nonnunquam qui melancholia affecti sunt, vt lucem quoque ipsam odio habeant: læduntur è contra interim vel maximè à noctis obscuritate & tenebris. Melancholia, dicebat Galenus in Introductorio libello cap. 13. nascitur ex atra bile, humore frigido & tenebroso, vnde Melancholici tenebriones ac lucifugæ tristéque apparent: de omnibus suspiciosi, hominum consuetudinem oderũt, solitudinibus gaudent, quemadmodum Bellerophon à Poeta describitur,

Qui miser in campis mœrens errabat Aleis,
Ipse suum cor edens, hominum vestigia vitans.

Per hoc distinguitur hic affectus à mania, quæ & ipsa sub generali melancholiæ titulo enumerari solet, quoniam hæc furibundos, audaces, & manu

promptos homines facit, à calidiore humore adusto ortum habens. Melancholia verò hęc, de qua sermonem habuit Andromachus, à frigido fit humore melancholico, qui μέλαιρα χολὴ dicitur: ideóque morbum frigidum & siccum eam appellauit Galenus, lib. 1. de temper. c. 3. Excitatur morbo hic, Paulo teste lib. 3. c. 14. interdum cerebro ipso primariò affecto: quandoq. vnà cum toto corpore permutato: quandoque in hypochondriis tantùm humore collecto. Vbicunque collectus fuerit humor eiusmodi, posse illum à theriaca absumi Galenus centuit lib. de ther. ad Pison. cap. 15. Excitatas, inquit ille, à melancholia graues curas, multoties sumpta ex animo pellit, perinde ac si è splene ac reliquis membris atram bilem exugeret. Tristes curas ab hac eadem Antidoto pelli existimauit Damocrates. Aetius assiduè exhibitum hoc pharmacũ ex venis & vicinis partibus atram bilem velut exhaurire & consumere, quemadmodum etiam ex ferarum ictu illatum venenũ. Idem ad verbũ scripsit Actuarius. Paulus inter optima aduersus melancholiam remedia illud esse existimauit, loco proximè scripto, si aceti acerrimi parum sorbeat dormitum iturus ægrotans, pleraque etiam obsonia in hoc intincta edenda illi esse cõsulit: præstare autem aceto admixtam esse scillam & Polium & tenuem Aristolochiam, peculiarem quandam facultatem aduersus melancholiam his medicamentis inesse ratus. Sed hæc omnia & singula medicamenta continet theriaca, quo nomine hoc in affectu non potest non valde laudari. Atque hi sunt morbi venenum non habentes,

quibus

quibus theriacam aduersari existimauit Andromachus.

COMITIALI MORBO QVA DE CAVSA OCCVRRAT THERIACA.

Caput Vigesimumprimum.

NON est tamen quòd credamus hos tantùm ab Andromacho enumeratos morbos à theriaca euinci, quoniam & alios multos pariter graues illa euincit. Quosdam tãtùm Cæsari enumerauit Andromachus in exemplum, vt exinde quibus aliis aduersaretur theriaca manifestum esset. Quare Galenus, Aetius, Paulus, Actuarius, Nicolaus Myrepsus, Auicenna, Haly Abbas & Auerroes longè plures enumerarunt, desumpto nimirum ab his quos enumerauit Andromachus exemplo. Comitialem morbũ proponamus imprimis, aduersus quem miro quodam modo pugnare theriacã isti omnes ac singuli pleno ore affirmarunt: nec id quidem ab re. Est comitialis morbus (Epilepsiam Græci dicunt) totius corporis conuulsio non perpetua, cum mentis & sensuum oblæsione. Facit eam ventriculorum cerebri non omnimoda obstructio à crasso lentóque humore: pituitoso putà solo, vel humori melãcholico admixto, vel à maligno crasso & vaporoso spiritu venenosam qualitatem habente. Quancunque igitur ex his causis à theriaca euinci posse, non multum difficile est demonstrare. Si venenatæ qualitatis vapor morbum hunc effecerit, siue à vero prodeat vene-

no, siue à re quapiam eidem simili: hunc ab eo medicamento euinci fatendum est, quod primo ac præcipuè ad venena euincenda inuentum est. Si verò humor pituitosus eiusdem causa fuerit, siue solus sit, siue humori melancholico mixtus, ab exiccante excalefacientéque medicamento posse illum attenuari, ad euacuationem præparari, & multa ex parte absumi, ex his quæ de aliis pituitosis morbis anteà dicta sunt notum est. Potest adhæc idem hoc medicamentum frigidam cerebri ventriculique intemperiem corrigere, cerebrúmque ipsum haud segniter confirmare: quæ omnia, ad huius morbi curationem requiri medicũ quéque scire suppono. Medicamenta qui sciuerit aduersus epilepsiam facientia, ea, si non omnia, saltem quam plurima, & illa quidem valentiora in theriaca contineri animaduertet. Meritò ob id Galenus comitialibus inuasionibus acriter resistere theriacam scripsit, ea adiecta ratione, quòd & nimiam capitis humiditatem absorbeat, & aduenienti vento vias obstruat: quibus ex Galeni verbis illud colligimus (quod etiam ad maiorem huius Antidoti aduersus hunc morbum commẽdationem facit) vt naribus epileptici admota theriaca optimũ sit auxilium: quippe quod suo graui odore ægrotãtem ab accessione reuocare possit, eundémque ab eodem arcere, vapores discutiendo, exiccando, excalefaciendo, cerebrúmque firmando. At si tantam vim aduersus epilepsiam habet theriaca, cur eandem cõtra Apoplexiam, vertiginem, diuturnum capitis dolorem nõ habebit? Non est certè vt quis hoc in dubiũ vertat, qui maximam

mã inter hos morbos existentem cognouerit affinitatem. Vertigo sanè, Apoplexia & Epilepsia sola inter se maioris & minoris differentia distinguũtur. Diuturnus verò capitis dolor, atque auditus tarditas easdem habent cum his morbis efficientes & materiales causas, in omnibusque cerebrum eadem intemperie affectum est. Videas Galenum propterea & alios de theriacæ viribus disserentes illam pro his morbis profligandis commendasse. Quæ res tanquam ex se euidens & manifesta maiore, mea quidem opinione, non eget confirmatione.

AD MORBOS ARTICVLARES VALERE THERIACAM.

Caput Vigesimumsecundum.

QVARE ad morbos articulares nostra traducatur oratio, & ad eos profligandos potentissimum auxilium esse theriacam demonstremus. Est articularis morbus Græcis ἀρθέτις dictus, vel omnes vel saltem plures occupans articulos, vel vnum tantùm, manus scilicet aut pedis, dicitúrque hæc podagra, illa chiragra. Ab omnibus humoribus simul mixtis, quomodocunque inter se misceri possint, & ab eorum singulo seorsum horũ affectuum quisque prouenire potest, ídque tãquam Medico cuique notissimum suppono. Porrò ad hunc extirpandum morbum, quæcunque fuerit pars affecta, quatuor potissimùm requiri omnibus quoque

compertum est: humoris superflui in corpore existentis consumptionem, eius qui fluxit euacuationem, illius qui fluit retractionē, & doloris lenitionē. Hæc autem omnia auxilia afferre theriacā author est Galenus lib. de ther. ad Pison. cap. 15. Pedum insuper, inquit ille idem, & aliorum omnium articulorum doloribus ab influxione excitatis tunc præcipuè confert, quando tempus incremēti discesserit, & status viget: oportet autem priùs dolores mitigare, foris imponēdo quidpiam quod ipsos lenire queat, inde theriacam bibere, quò fluxionem cohibeat: nam & quæ iam illata fuerint absumit, & quæ mox inferrentur auertit. Maximè verò prodest, quando quis ipsam sanus adhuc frequenter accipit: idcircò quia superfluitates humorum consumit, & totius corporis temperamentum immutat. Nam alia medicamenta quę podagrici bibunt in remedium dolorum, fluxionem quidem ad pedes ferri prohibent, sed cùm superfluum humorem non consumant, aliquam aliam maiorem ægritudinem excitant. Vagatur enim toto corpore fluxio illa, & pulmo qui propter respirationis officium cōtinuè mouetur, rarus cùm sit, facilè vltrò citróque vagantem humorem ad se trahit, atque sic hominem suffocat, quemadmodum ego in multis vera experientia cognoui. Quocirca ne prorsus tales medicinas ebibant ægri dehortor: suadeóque summopere vt theriaca velint in talibus morbis vti: quoniam & superfluum humorē exiccat, & alium colligi non permittit: vnde plurimi in principio ex hac bibentes prorsus à podagra liberati sunt. Hactenus Galenus,

lenus: cuius totam hanc dictionem ex industria hic adscripsimus, vt quantum in theriaca ad podagram & alios articulares morbos profligandos ille confideret, cuique notum faceremus. Nolim tamen vitio verti Galeno ipsi, qui doloris lenitionem hoc in morbo theriacę tribuisse minimè visus est, quando in extremis tantùm cruciatibus pro obstupefaciente medicamento ex vsu illa sit, quisquis fuerit morbum faciens humor. Longè profectò conuenientior illa est, si calidos humores dolores excitare contingat. De solis externis medicamentis dolorem lenientibus loco dicto est locutus Galenus. A ratione tamen alienum minimè est, recentem theriacam dolentibus articulis appositam sensu obstupefacto dolorem lenire. Cæterùm vbi ab humoribus frigidis productus hic morbus fuerit, ebibitam, vt ille dixit, theriacam omnibus aliis indicationibus satisfacere posse iam didicimus. De hac eadem huius Antidoti contra morbos articulares facultate hunc in modum locutus est Aetius: Podagra etiam affectis & articulorum omnium fluxione infestatis opitulatur: maximè cùm augmenti tempus præteriit, & status acuminis institerit: doloribus enim sedatis per ea quæ eos mitigare possunt, antidotum in potu præbere oportet: illatos enim fluores consumit, & alios inferri impedit: maximè autem profuerit, si sani adhuc ipsam accipiant: superfluos enim humores expandit, & totam corporis miscellam permutat. Multi igitur in principio podagrę per assiduum eius potum perfectè ab affectione sunt liberati. Idem cum Aetio senserunt A-

ctuarius, Myrepsus & Haly.

MENSTRVVM HÆMORRHOIDALEMQVE SANGVINEM DVCERE restringeréque quare possit theriaca.

Caput vigesimumtertium.

QVis quæso Antidoti huius pręclarissimæ vires non admiretur? Quis eandem summis non extollet laudibus? Hanc contrarios propemodum effectus moliri, sanguinis fluentis sistendi, restrictíque ducendi Galenus prædicat, idque vt verissimum ratio suadet, & experientia confirmat. Educit, inquit Galenus, eadem in mulieribus menstruum sanguinem, & suppressas vteri sedísve sanguinis excretiones frequenter aperit: ac, quod admirabilius est, immoderatas eiusdē sanguinis eiectiones detinet. Recorderis, subdit rationem reddens, dixisse nos in præcedentibus antidoti huius virtutem multiplicem ac variam esse: atq; ideò quædam egredi facit, cùm ea attenuet atque diffundat: quædam ob imbecillitatem virtutis immodicè prodeuntia supprimit, vires instaurans. Ex his patet itaque obstructionem, quæ retentionis harum euacuationum causa persæpe est, theriacam sua vi attenuante & abstergente aperire: calorem verò natiuum instaurando fluxiones reprimere. Poterat sanè etiam theriacam in hisce sanguineis fluxionibus Galenus commendare, quia obstupefaciendo refrigerandóque sanguinem minùs aptum ad fluendum efficit, somnóque inducto fluxiones

xiones omnes sudore excepto retinentur. Hoc tamen sola recens theriaca facere apta est: inuetera-ta verò attenuat, & vires instaurat. Credita est, inquit Actius, purgationes menstruas fœminis ciere, & fœtus mortuos eiicere, quos natura propter debilitatem expellere non potest. Etenim qua ratione menstrua ducit, eadem & fœtus mortuos pellere apta est: quæ eadem authoris libri de vsu ther. ad Pamphil. fuit opinio, sicuti & Actuarij. Sanguinem hæmorrhoidum à theriaca stringi scripsit Haly Abbas. Ex his igitur non in omni harum euacuationum retentione theriacam conuenire constat: sed in his tantùm, quarum causa est obstructio.

QVARTANÆ FEBRI QVA DE CAVSA OCCVRRAT THERIACA.

Caput Vigesimum quartum.

NON minoris quoque admirationis esse sentio, vt sua caliditate siccitatéque quartanæ febri, quæ passio calida est & sicca, ab humore sicco putrescente accensa occurrat theriaca. Et tamen Galenus in eius curatione non vno in loco eam maximopere commendauit. In lib. de ther. ad Pisonem cap. 15. hæc habuit, quæ in huius antidoti cõmendationem in medium afferret: Qua de causa quartanis etiam febribus optimè conuenit: cùm enim ea febris ab atra bili consurgat, facilè sumpta theriaca discedit, modò quis ipsa seruatis me-

medicæ artis præceptis vtatur. Ego nanque multos quartana laborantes hac vſus artis ſemita à morbo liberaui. In eo libro quem Glauconi idem Galenus ſcripſit, in cap. de curatione quartanæ febris, theriacam tanquam optimum auxilium laudauit. Eadem vſus ille eſt, vt apud eundem legitur in lib. de præcognit. ad Poſthum. cap. 3. Eudemo philoſopho tribus quartanis laboranti, Romæ cùm faceret medicinam. Rigores quartanæ febris auferre theriacam ſcripſit libri de vſu theriac. ad Pamphil. author. Aetius de theriacæ facultatibus particularibus verba faciens, Galeni authoritate priùs adducta, maximè quartanis conducere theriacam ſcripſit, ſi quis ea ingenioſè vtatur. Quin & Paulus Ægin. lib. 2. cap. 23. quod eſt de quartanarum curatione medicamentum ex viperis omni quartanæ cõuenire determinauit. Sic & Actuarius lib. 6. ſuæ meth. med. eiuſdem nu. cap. exiſtimauit. Et Auicenna in curatione quartanæ febris, prima 4. tract. 2. cap. 64. deſcripta, in melancholica & phlegmatica quartana theriacam & Mithridatum danda ſuaſit. Quapropter ſi authoritatem & conſilium magnorum Medicorũ inſequi conuenit, quartanæ febri theriacam optimè auxiliari credendum eſt. Porrò ea cõſilij eorum fuit ratio, quia ſuccum melancholicum à theriaca abſumi poſſe cognouerunt. Excitatas à melancholia graues curas ab animo pellere theriacam Galenus ſcripſit Piſoni, perinde ac ſi ex ſplene & reliquis membris atram bilem exugeret: & hac de cauſa quartanis quoque febribus optimè conuenire, quod idem Actuarius & Aetius ſcripſerunt. Hoc profectò

profectò si paulò attentiùs considerasset Alexander Trallianus, vir sane in his quæ ad medicinam pertinent illustris & peritus, Galenum minimè damnasset, quia Diatrion pipereon, Diospoliticon, theriacam & liquorem Cyrenaicum, quæ sunt medicamenta exiccantia, quartanariis sicco sine dubio morbo affectis exhibuerit. Hic quidem omnem suę dubitationis & reprehensionis rationem in eo reposuit, quoniam etsi humor melancholicus calefacientia desideret medicamenta, nõ tamen necessariò etiam siccãtibus indiget: si quidem frigidus & siccus, & propterea calefacientibus & humectantibus egens. At non videtur, inquit ille, etiam humectantium aliquod pręscribere velle prorsus, sed è contrario omnia quæ siccãt assántq; nimiùm, & humorem crassiorem potiùs reddunt. Nã quæ videntur magis extenuare, cùm sint etiam paulò calidiora, quàm vt mediocriter extenuẽt postea terrestres magis humores & multò quàm priùs crassiores efficiunt, dum humiditatem quæ in eis subsistit exugunt absumúntque, vt natura ideò excrementa lentiùs excoquat. Didicimus, subdit, concoctiones omnémque vitæ originem à calido fieri & humido, id quod etiam in externis videre licet: nam fructus & singulæ stirpes à pluuiis & Solis calore producuntur. Et propterea omnia quæ præter naturam existunt, contraria ad curationem requirunt: quæ secundum naturam sunt, similia potiùs. Colligebat tandem præstantissimi Medici esse officium, vt calidum quidem refrigeret, siccum autem humectet, frigidum excalefaciat, & humidum siccet: in

ſumma vt ea quæ ſunt vitia & affectus contrariorum vſu euincat. Hæc aduerſus Galenum pronũtiauit Alexander, ſecus dubio procul facturus, ſi rem totam paulò intimiùs inſpexiſſet. Sanè verò & nutritionem & melãcholici humoris vocatam à Medicis præparationem humectantibus ſimúlque excalefacientibus cibis ac medicamentis faciendam eſſe negandum non eſt: humoris autem præparati euacuationem excalefaciente & exiccante medicamento fieri debere vt non eſt inconueniens, ita & neceſſarium. Euacuationem ipſam medicamento purgante fieri neceſſe eſt. At purgantia omnia medicamenta calida & ſicca eſſe Galenus affirmauit, primo aphor. com. 22. Videas propterea eundem Trallianum in quartana, quæ, vt ille inquit, à bile excitatur, Scammonio, Agaricóque: in ea quæ à ſucco melancholico ſuccenſa eſt, caſtoreo & liquore Cyrenaico ad humoris purgationem vti. His profectò excalefacientibus & exiccantibus medicamentis in febre, quæ calidus & ſiccus affectus eſt, vtendum eſſe neceſſitas cogit, quia alio auxilio mali humores probè perfectéque expurgari minimè poſſint. Neque eſt vt quis dubitet theriaca vti ſolitum fuiſſe Galenum ad ipſum humorem facientem quartanam abſumendum: quoniam non niſi poſt perfectam humoris concoctionem ea vtendum voluit, iis quoque vehementer damnatis, qui ante tempus huiuſmodi ea vtentes ſimplicem quartanam, duplicem triplicémque effecerunt: quæ res poſtea in illa huius noſtri ſermonis parte, quæ de tempore exhibendæ theriacæ pertractabit, planiùs à nobis oſtende-

ostendetur. Miror deinde, neque satis mirari desino, in id incidisse Alexandrum, vt dixerit, victum exiccantem vbique in quartana Galenum commendasse: quandoquidem secus res se habeat, victúmque humidum ille laudauerit. Arcendi sunt, inquit Galenus, à carnibus porcorum, atque ab omnibus eduliis, quæ tenacia sunt & tardum habent exitum, ac quę refrigerant exiccántque corpus. Vino verò vtēdum est albo, tenui, ac mediocriter calido, & volatilibus quæ boni succi sunt & non in paludibus degūt. Pisces autem adhibendi concoqui faciles, mollibus carnibus nihil tenax habentibus præditi. Quis, quæso, est etiā mediocriter tantùm in rebus medicis versatus, qui neget victū huiusmodi esse humidū? At videre videor insurgentem aliquem, qui in Alexandri defensionem dicat, Galeni codices Græcos impressos & manuscriptos, Oribasium pariter, Aetium & Paulum aliter de hoc victu enuntiare, legeréque hunc in modum: Arcendi sunt à victu humectante: meritóque ob id reprehensum fuisse Galenum. Addent quoque fortasse salsamenta & sinapi, Diatrion pipereon & Diospoliticum medicamentum quartana laborantibus concessisse eundem Galenum in victu, quæ omnia & singula exiccare manifestum est prorsus. Possem cum Stephano Athenienſi Græco illius Galeni libri interprete, & quidem grauissimo, dicere: cōiunctim esse legendam eam dictionem hoc modo: Et ab vniuersis eduliis quæ refrigerant & humectant: non disiunctim: túncque verum esse, cibos qui refrigerant simúlque humectant, non esse conuenientes: tam-

etsi conueniant qui sine refrigeratione humectãt. Malim potiùs cum doctissimo Leoniceno (quicquid de codicibus Græcis emendandis dici posse videatur) legere hunc in modum: Et ab vniuersis eduliis quæ refrigerant & siccant: sic enim lis tota dirimitur, nullaque in Galeni verbis remanet difficultas. Vt verò qui hæc nostra legent, faciliùs nobiscum in hoc cõueniant, rationem viri de rebus medicis optimè meriti sententiam confirmãtem hic adscribemus validissimam, nullo vt eredimus argumento reprehendendam. Pisces concoqui faciles, mollibus carnibus nihil tenax habentibus prædatos, quos in huius febris victum Galenus commendat, quis inter exiccantia enumerabit? nónne humidum illi præbent nobis alimentum? quis vinum album tenue mediocriter calidum, quod ille idem laudat, potiùs humectare quàm exiccare nõ fatebitur? Suum carnes succum siccum, hoc est, melancholicum gignere centies Galenus enuntiauit, quartanariósque ab eis abstinere debere iussit. Frictiones molles, leues ambulationes & balnea concedit his qui hac febre laborant. Hæc autem omnia & singula si quis exiccare voluerit, cùm verè humectent, contentiosi hominis nomine appellandus erit. Quapropter luce clarius esse existimo longè probabilius esse, quòd siccum victũ quartanariis Galenus interdixerit. Nulla verò ratio persuadere nobis poterit, virum in rebus medicis scribendis accuratissimũ, ipsiúsque Tralliani iudicio hac in parte diuinissimum, victum humidum damnasse priùs, & statim nullis interiectis lineis, cibos humectantes laudasse

se proposuisséque. Quòd autem ad salsamenta attinet, & ad confectum ex tribus Piperis generibus medicamentum, aliáque huiusmodi exiccantia medicamēta, non aliter difficultati satisfaciendum puto, quàm Stephani Atheniensis solutione in medium adducta, quæ in loci illius expositione his verbis continetur: Et dicimus eum nunc, non vt nutrimentum, sed vt medicamentum hæc exhibere: idcirco etiam sinapi eorum escę admiscet: oportet autem ipsis vti per dierum interualla, vt tenuitate quidem attenuent, substantia verò nullam notatu dignam additionem faciant. Patet itaque, & mea quidem opinione manifestè, summa ratione Galenum in quartanæ febris curatione theriaca vti potuisse: qui si ob id damnandus est, quòd exiccantibus in sicco affectu vius sit medicamentis, profectò & Alexander suamet lege constituta improbandus erit, qui plura Antidota sine dubio exiccātia ad quartanarios, eodem cap. 8. libri 12. in quo Galenum reprehēdit, commendauit. Neque sanè per eam distinctionem, quòd aliqua quartana calidum habeat à quo succensa est humorem, bilem scilicet, alia succum melancholicū qui frigidus est, in administratione exiccantium medicamentorum sese defendere poterit: qui aduersus Galenū disputans in quouis sicco humore exiccantibus non esse vtendum medicamentis constituit. Siue itaque frigidus, siue calidus quartanam succendens humor fuerit, is eius quoque testimonio siccus est. Theriacam igitur quartanariis prodesse rectè omnino à Galeno constitutum esse existimo. Qua itaque ratione

quartanæ febri occurrit theriaca: eadem quoque & diuturnos rigores, famémque caninam dictam à succo melancholico in ventriculo collecto prouenientem auferre poterit. Hoc Galenus & alij antiqui Medici affirmant: idémque ratio suadet. Crassos enim & terrestres humores, eiusmodi morbos facientes, attenuat, digerit, & absumit.

LVMBRICOS QVA DE CAVSA ENECET THERIACA.

Caput Vigesimumquintum.

SED posteaquam in immoderatæ famis sermonem incidimus, latũ illum & maximum vermem omne susceptum nutrimentum deuorantem, atque ideò totum corpus extenuantem, consequentérque lũbricos quosque in intestinis degentes & multã famẽ faciẽtes qua ratione occidere sit apta theriaca, nunc quoque demonstremus. Speculationis huius occasionem nobis dederunt Galenus & Aetius, hanc facultatem theriacæ ipsi tribuentes, eo præsertim commemorato verme, qui & latus admodum est & maximus, totius corporis nutrimentum absumens. ἕλμινθες à Græcis vocantur lumbrici, tréſque habent species Galeno magistro 3. aphor. com. 26. alij enim rotundi sunt, teretes dicti: alij lati: pusilli alij, Ascarides nuncupati, omnes ex crassa lentáque pituita frequentibus cruditatibus collecta, geniti quidem: sed à valido natiuo calore animati. Ex his qui latus est, rariorem

rariorem quidem habet generationem, quemadmodum loco citato Galenus ſcripſit, & in libro introduct. cap. 13. confirmauit: ſed interdũ longus adeò eſt, vt per omnia extendatur inteſtina. Hoc idem in ea epiſtola ſcripſit Trallianus, quã Theodoro cuidam amico ſuo de Lumbricis ſcripſit. Inter ea animalia, quæ ex putri gignuntur materia, lumbricos recenſuit Ariſtoteles, lib. 5. de generat. animal. cap. 19. Quapropter ſi horum animalium materiam ſpectes, ea ab antidoto illa, cuius facultas maximè attenuans eſt & abſtergens, attenuatur valenter & abſtergitur. Si verò putredinem in eiuſmodi materia concitatam attendas, huic ſua vi exiccante aduerſatur illa eadem: ita vt iam genitos lumbricos ab ea occidi, & quò minùs alij generentur impediri neceſſe ſit. Lumbricum latum à filice, quoniam amara eſt, enecari ſcripſit Galenus lib. 8. de ſimpl. med. facult. cap. proprio: ſed in theriaca multa amara medicamenta contineri notum eſt. Medicamentis pariter acrioribus occidi lumbricos docuit idem author in introduct. libello, cap. paucis ab hinc aſſignato: in quorum numero reponendam eſſe theriacam quæ ſuſcipit in compoſitione medicamenta manifeſtum faciunt. Abrotonum adhæc, Abſinthium, Calamintham, Cardamomum, Coſtum, Hyſſopum, Myrrham, Nepitam eadem animalia præcipuè enecare apud Galenum legimus, de horum medicamentorum facultatibus differentem in libris de ſimpl. med. facult. Quæ omnia & ſingula cum recipiat in ſua compoſitione theriaca, nõ eſt propterea vt eius vis aduerſus animalia iſta in du-

bium vocetur. Hanc curandi rationem confirmat Trallianus loco scripto, adhibita tamen febris animaduersione: quæ si ipsis lumbricis iuncta fuerit, in medicamentorum excalefactione cautè nobis incedendum esse admonet: de qua re pleniùs postea disseremus.

INTESTINORVM EXVLCERATIONES, DIFFICVLTATES, LVBRICITATÉSQUE CVR SANARE APTA SIT THERIACA.

Caput Vigesimumsextum.

INTESTINORVM quoque vlcera sanare theriacam scripserunt Galenus & Auicenna: quorum sententiam de iis vlceribus intelligere par est, quæ saniem habent, & perfecta sunt ac absoluta, quæcunque fuerit exulcerationis causa. Quæ enim in dysenteriis dicuntur adesse vlcera, ea quousque saniem non emiserint, abrasionem potiùs præ se ferunt quandam, & à causa calida, acri, & mordaci cùm proueniant, theriacę vsum non admittunt. Vbi saniem illa emiserint, conueniet medicamentum, Galeno magistro lib. 12. meth. med. cap. 1. At in aliis omnibus vlceribus, quomodocunque excitata fuerint, eadem prorsus ratione cõuenit theriaca, qua & vesicæ exulcerationem eam sanare posse nuper didicimus, & de eis est Galenus intelligendus, cùm intestinorum exulcerationem primo

mo loco ennumerauit. Qui deinde eorũdem difficultates adiiciens de dysenteriis venit interpretãdus, vt ex eodem didicimus, cùm 3.aphor.com. 16.tum 6.eiusdem operis com. 3. quo in casu, vt dicebamus, sanie non eueniente est dimittenda theriaca, quia excalefaciat nimis: est tamen illa recens interim ex vsu, fluente scilicet sanguinis copia, doloribúsque maximè vrgentibus, ad refrigerandum & obstupefaciendum. Nunc de lubricitatibus intestinorum dicamus. Rectiùs equidem, mea opinione, vertisset Latinus interpres, læuitatibus, eóque proprio vsus fuisset vocabulo, quod Latinorum esse proprium Galenus dixit. 4.aphor. com.12. Eum affectum à Græcis lienteriam appellari ibidem admonet, éstque cùm cibaria talia deiiciũtur celeriter, qualia sunt deuorata: qui quidem affectus cùm à cruditate ciborũ proueniat, breuiùs propterea definiri idem Galenus censuit 6. eiusdem operis com. primo, vt sit scilicet coctionis priuatio, nulla neque secũdùm consistentiam, neque secundùm colorem, aut odorem, aut aliam omninò qualitatem in ventriculo ciborum mutatione facta. Huius causam esse retentricis facultatis infirmitatem, atque omnium ad ventrem pertinentium instrumẽtorum, hoc est, ipsius ventriculi in quem vorando cibos ingerimus, & intestinorum cibos ab hoc acceptos transmittentium dyscrasias & intemperies, vt eodem 12.com. 4.aphor. scriptum est. Has autem vel à frigida intemperie sola, vel ab hac cum multa pituita, retentricem & concoctricem facultatem imbecillã reddente, aliàs deniq; ab vlcerosa quapiam affectio-

ne prouenire, cùm iisdem proximè scriptis locis, tum 3.aphor.com.30. Galenus quoque constituit. Et ab his causis theriacæ vtilitas demonstratur. Excalefacit hæc & simul exiccat, frigidámque idcò intẽperiem corrigere apta est: attenuat & abstergit, ita vt collectam in ventriculo & intestinis pituitam concoquat, ad euacuationem disponat, & magna ex parte absumat. Vlcera item exiccando & abstergendo sanat: ad hæc per ea quæ continet aromata virtutem concoctricem retentricémque ventriculi & intestinorum mirificè confirmat. Quæ omnia & singula in lienteriæ curatione requiruntur præcipuè. Porrò lienteriam sanare si potest theriaca, consequenter etiam cœliacam (quam dicunt) affectionem, vt sensit Actuarius. Fit hæc affectio, cùm excrementa læuia, humentia & semicocta in aluo contenta continenter fluida redduntur aliquanto postquam assumpta fuerint tempore, propter ventriculi & intestinorum facultatem imbecillem, perfectè concoquere & digerere alimentum nequeuntem, ab iisdem causis cum lienteria productam, vt à Galeno scriptũ est, lib.6. de locis patien.cap.2. ita vt media quædam lienteria verè dici possit cœliaca affectio.

VOLVVLO QVA DE CAVSA OCCVRRAT THERIACA.

Caput Vigesimumseptimum.

EST pariter intestinorum affectio quædã vehemens & ferè lethalis prorsus, ipse volvulus, cui theriacam occurrere Galenus

renus & Aetius asseruerunt. Fieri hunc affectum, vel ab inflāmatione, vel ab obstructione tenuium intestinorum ab arido stercore facta, quandoque etiam propter eorundem tumorem, apud Galenum legimus, lib. 6. de loc. patien. cap. 2. Neque tamen adeò proprius est hic morbus tenuium intestinorum, quin aliquando eodem teste Galeno 2. in 3. Epid. com. 6. crassiora occupet intestina, præsertímque cæcum Ileo proximum. Præsente inflammatione fidei parum in auxilio theriacæ Galenus reposuit in lib. de ther. ad Pison. cap. 15. ea absente multum ab ea iuuamentum sperauit: quoniam, vt ille idem ibidem inquit, humores in intestinis existentes theriaca absumit, & eorum flatus in vapores resoluit. Tumorē pariter, quem crassos humores ac frigidos excitasse necesse est, materiali causa discussa dissipat, & ad nihilum reducit theriaca: roborat insuper & confirmat partis imbecillitatem, & frigidam intemperiem corrigit.

CHOLERAM MORBVM ET CARDIALGIAM CVR SANET Theriaca.

Caput Vigesimum octauum.

KΑΡΔΙΑΛΓΙΑ & καρδιωγμὸς duo sunt à Græcis vsurpata vocabula, morsum quendam in præcordiis molestissimum significātia. Num verò vnum idemque sint, an potiùs in hoc differāt, quòd cor-

dis affectum significet καρδιωγμὸς, ventriculi verò καρδιαλγία, parum ad præsentem facit speculationem: in eo ambo cùm conueniant, quòd ab humore acri irritante & mordicante vtrunque proueniat. Irritari autem vẽtriculi os potissimùm, Galenus author est lib. 2. de decret. Hipp. & Platon. cap. 8. & 5. de vsu part. cap. 4. ex qua irritatione cor ipsum suæ propinquitatis occasione in consensum trahi Aetius admonebat, tetrab. 3. serm. & cap. 1. Irritationis seu mordicationis causam humori admodum acri, qualis est biliosus, aut cuique altero venenosa qualitate prædito, siue etiam veneno cuipiam iidẽ authores assignauerũt. Choleram verò morbum (nomen quidem Græcis Latinisque Medicis commune) non vnam tantùm ventriculi partem occupare Galenus existimauit, lib. 3. de cau. sympt. cap. 2. sed totum illum, non à bile tantùm eum molestante, vt Alexander Trallianus lib. 7. cap. 16. docuit, sed etiam ob copiosorem cibum assumptũ corruptúmque: item ob prauorum humorum ac ciborum seu potionum malam qualitatem. His itaque morbis theriacam conuenire Galenus, isque qui librum de vsu ther. ad Pam. scripsit, Aetius & Actuarius asseruerunt: huic quidem qui cholera dicitur, humores partim sistendo partim densando: alteri verò, sudorem comprimendo & concidentem ægri virtutem retinendo firmandóque. Addamus nos vincere theriacam humorum malignam qualitatem & venenositatem: quæ si horum morborum causa fuerint, nullo præstantiori conuenientiorique eumci possunt auxilio. Est illud autem præstantius

ſtantius multò, quoniam recens eſſe debet theriaca, cùm de venenis agitur: quo tempore ſuæ frigiditatis medio & fluxiones ſiſtit, & humores cõdenſat, & ſudores cohibet, humorúmque acrem qualitatem attemperat. Per hęc itaque dubium illud aufertur totum, quod ex humorum caliditate & febre his morbis interdum iuncta aduerſus theriacæ vſum enaſci poterat. Cæterùm qua ratione theriacã his morbis aduerſari ſuademur, eadem in ea adminiſtrãda prudentes eſſe nos debere admonemur, ſolaque neceſſitate maximè vrgente ad eam confugiendam nobis eſſe docemur, ne fortè impactis ab eius frigiditate in ventriculi tunicis prauis humoribus morbũ ipſum è veſtigio augeamus. Fuit hoc authoris libri de vſu ther. ad Pamphil. prudens conſilium, vt cardiacis præ doloribus ventriculi deficientibus conferat theriaca. His itaque conditionibus obſeruatis theriacã antedictis morbis conuenire dicimus: eam dubio procul dimittendam eſſe aſſerentes, vbi nec ſua natura difficiles fuerint morbi illi, nec grauiùs afflixerint.

PESTEM QVATENVS EVINCAT THERIACA.

Caput Vigeſimumnonum.

PEsti ipſi è diametro aduerſari theriacam, vt ab antiquis pleriſque Medicis ſcriptoribus affirmatum legimus: ita apud omnes in hanc vſque

diem receptum fuisse scimus, & qui de peste ex professo scripserunt recentiores quamplurimi, id nulla adiecta demonstratione asseueranter affirmarunt. Hos nos quoque insequentes sola Galeni & aliorum antiquorum Medicorum idem affirmantium authoritate contenti essemus, nisi doctissimus ille scriptis & inuentis clarissimus Iulius Alexandrinus Medicus Cæsareus nos ad se suámque aduersus hanc theriacæ facultatem perpendendam sententiam inuitaret. Cùm enim is ferè solus theriacam contra pestem nullam vim habere, neque conuenire scriptis mãdauerit, communique hucusque receptæ sententiæ aduersatus sit, cùm rei nouitas, tum viri haud paruipendenda authoritas, imò & disputationis illius series satis ingeniosa ad id considerandum attentiùs paulóque diligentiùs discutiendum nos propterea coegit. Totius autem huius disputationis ordo hic erit. Quæ theriacæ facultatem aduersus pestem inesse demonstrant in medium priùs afferentur. Adducentur deinde quæ aduersus hæc scripsit vir doctissimus. Hæc ex ordine maturiùs ponderabuntur, negotiúmque totũ determinabitur. Galenus in lib. de ther. ad Pison. in cap. 16. pestem non modò à theriaca euinci scripsit, sed vt hoc ipsum efficaciùs persuaderet, rationem experientia confirmatam adiecit. Se enim deprehendisse affirmat, vel solam theriacam in pestilenti constitutione languentibus posse succurrere, neque aliud præsidium tam magno malo posse resistere. Rationem esse dixit, quoniam pestis ceu fera quædã venenata, nõ tãtùm paucos aliquot miserè perdit, verùm

totas

totas ciuitates depascitur, malè scilicet immutato & inquinato aere, quem omnes per inspirationem attrahunt ex necessitate. Quapropter qua ratione succensus per vicos & plateas ignis ex bene olentib. coronis & florib. sic iubente Hippocrate, ad arcendam ex Æthiopia pestem ad Græcos venientem aërem expurgauit, adeóque contulit: sic & theriacam, tanquam ignis quidam purificans & ipsa sit, sanos immunes à peste conseruare, ægrotantésque sanare posse, aërem malignum immutãdo, corporáque ad euincendum apta reddendo, arbitratus est. Idem ad verbum ferè testatus est Aetius tetrab. 4. serm. primo cap. 96. Paulus pariter lib. 2. cap. 36. idem sensit, & ad id confirmandum Galeni authoritate vsus est. Idem & Nicolaus Myrepsus sect. 22. cap. 5. Et qui librum de vsu ther. ad Pamphil. scripsit ab Æliano Meccio, viro & medicæ facultatis experientia præstantissimo, & singulari quadam humanitate insigni, se audiuisse admonuit, Italiam olim pestẽ inuasisse, qua celeriter multi intercipiebantur, timentibúique omnibus, vt fit, & Medicis & Principibus authorẽ se fuisse vt sola theriaca vterentur (nam cętera nihil contulerant) plurésque tunc affectos sumpta theriaca conualuisse. Idipsum autem, dicebat ille, mirum alicui videri nõ debet, quando si haustum venenum superat theriaca, pestilentiam quoque vincere potest. At si ex aeris vitio exortę pesti validè adeò occurrit theriaca, certè & illi quę ex cõtagio aut ex prauis cibis enata est occurret validiùs, quòd hęc mitior sit quodammodo. Arabum Medicorum antiquorum loca in quibus hãc the-

riacæ vim contra pestem magnifaciunt, cùm omnibus in propatulo sint, hic adscribere superfluũ esse existimamus. Agamus potiùs ratione. Quæcunque præseruant auxilia, eadem sanare, & è cõtra, apud omnes Medicos sic receptum est, vt sæpissime idem auxilium eodem tempore sanet & præseruet: Theriacam à peste præseruare his carminibus Cæsarem docuit Andromachus:

Ne te dira lues, non lædat noxius aer:
Hanc cape, cùm prima est Sole reuecta dies.

Nimius dubio procul essem, tædiosáque simul ob longitudinem euaderet oratio, si omnia Galeni loca in quibus vim præseruandi à peste theriacæ tribuit, hic adscriberem. Itaque si præseruat à peste theriaca, vtiq; & curat. Calori naturali quãtopere inimicum sit pestis virus, inde manifestũ est, quòd tam celeriter occidit. At à theriaca sic eum firmari & muniri, vt potentissimis quoque venenis resistat, in huius sermonis initio abũdè demõstratum est. Excellentem putredinem à peste excitatam insigni egere exiccatione, cùm primo de diff. feb. cap. 4. tum alibi sæpe Galenus affirmat: theriacã autem vel insigniter exiccare sæpius hoc nostro sermone docuimus. Humanã vrinam abstergere, exiccare, proindéque vlcerum sordes & putredinem absumere Galenus constituit lib. 10. de simpl. med. facult. cap. proprio: quò factum est, vt grassante in Syria peste multi vrinam puerorũ simul & virorũ cùm hausissent, seruati sint. Hoc exemplo exiccãtem & abstergentẽ theriacæ vim pesti aduersari colligimus. Obstructionũ in peste aperiendarũ necessitas quanta sit, Galenus lib. 1. de differ.

differ.febrium cap.assignato ostendit.Quantũ ité valeat in hoc theriaca, multi morbi ab obstructione facti, quos ab ea sanari didicimus,manifestum faciunt.Sed ad ipsam pestis putredinem iterũ sermonem cõuertamus, & theriacam eam euincere vitro demonstremus.Hęc profectò vel ea est,quã in aer produxit coinquinatus & putridus,vel cõtagium, cibóve prauos semiputrido sq.habuit pro causa:& hæc vel in humoribus cordis, vel in eiusdem substantia est excitata.Spiritus dimisimus ex industria,quia pestilente diariam minimè dari existimamus. Quæcunq.itaq; fuerit putredinis causa hæc,vbi cordis substãtiam attigerit,res est deplorata penitus,Galenique opinione lib.3 de præsag. ex Puls.cap 4.nullã habet medicinã, vt propterea neq.theriaca,neque quoduis aliud auxiliũ,tunc sit ex vsu.Si humores tãtùm putrescere cõtingat,tãta est eorũ putredinis vis & efficacia,vt fortiora cõmunibus & vsitatis expostulet auxilia. Hoc inde certum fit,quòd maiorẽ ægrotantium partem pestis occidit:id minimè factura,si cõmunibus ac vsitatis cederet auxiliis.Putredini quidem exiccantia resistere,affirmauit & Aristoteles. Valenter igitur exiccãtia pestifera putredo postulat:quo nomine theriacã ei conuenire negari minimè posse existimamus. Calefacit quidẽ nec segniter theriaca,quã febris huiusmodi putredinis socia renuere videtur : sed tanta est prauissimæ & exitiosissimæ putredinis feritas, vt febrẽ quadãtenus auxisse p̃stet, dũmodò eã euincamus,vnde maius iuuamentũ speratur.Etenim sępe nocere Medicum vt magis iuuet, res est cuique satis manifesta. Et Gale-

nus primo aphor. 24. com. de purgante medicamento in acutis morbis, in quibus turget materia, exhibendo verba faciens: Neque enim, inquit, parum impendet periculi, si quis in morbo acuto malè medicetur, quòd purgantia medicamenta omnia facultate sint calida, & febris quatenus febris est sui ratione non quæ calefaciunt & siccāt, sed iis maximè contraria, quæ humectant & refrigerāt, postulet. Non igitur propter calorem illum febrilem purgatio nobis instituitur (hanc enim scimus quantum in se est nocituram) sed humorum qui febris causa sunt nomine. Maiorem igitur ex infestorum humorum vacuatione vtilitatem consequi oportet, quàm sit detrimentū, quod ex medicamentis purgantib. corpus necessariò accipit: sed tutior quoque aut saltē minùs periculosa erit theriacæ administratio in peste, cùm pusilla admodū eius fuerit febris, quod sepe euenire Galenus affirmat lib. 9. de simpl. med. facult. cap. de terra Samia. Neque tūc in eius vsu dubitatio esse poterit aliqua, cùm febre caret pestis, quod posse cōtingere pleriq. ex Hippocrate & Galeno cōtendunt. Neq. est vt in affectu calido theriacæ caliditatē tātopere vereamur, quādo alia ingruit necessitas, periclitātis scilicet vitæ seruandæ, morbíque causæ vehementissimæ euincēdę. Id vltro Galenū obseruasse certū est, qui in affectu ex sumpto scāmonio enato ad calidissimi medicamenti vim refrænandā theriaca vsus est, lib. 12. meth. med. c. 7. Vim ipsi theriacæ inesse ad purgantium medicamentorū vires eneruādas destruendásq. in prioris libri calce doeuimꝰ, omniáq. medicamēta purgātia

tia excalefacere, proximè ex Galeno didicimus. Cæterùm excalefacientibus auxiliis nonnunquã in peste vtendum esse Aetius affirmat, tetrab. 2. serm. primo cap. 94. quod idem iussit Paulus lib. 2. cap. 35. & Oribasius lib. 6. synop. cap. 24. in lib. de remouen. nocum. quæ ex aere fiunt, tract. 2. ca. 10. Nescio pariter qua ratione freti, aut quo argumẽto persuasi negabimus posse theriacam euincere excellentem illam pestis putredinem, si & purgantium medicamentorum venenosam qualitatem, & venena omnia euincit ac superat. Non autem ob id affirmo pestis putredinem esse propriè venenum: malæ tamen adeò qualitatis eius putredinem esse certus sum, vt breui tempore occidat quemadmodum venena: (quod & Aretæus scripsit lib. primo de cau. & signis acut. morb. cap. 7.) cui theriacam sua vi specifica, multorúmq. in eius compositione ingredientium medicamentorum occasione, aduersari scio. Aliqua in exemplum adduxisse sufficiat, per quę possit qui voluerit reliqua omnia ad libitum colligere: Bolum Armenã, vnà atque Lemniam dictã terram. In magna enim illa sui tẽporis Peste, cuius eadem facies fuit cum ea quæ Thucydidis memoria grassabatur, quotquot id medicamen biberunt celeriter curatos fuisse Galenus affirmauit lib. 9. de simpl. med. facul. cap. de terra Samia. Putredini verò excellenti quòd resistat terra eadem, ibi & alibi sæpius enuntiauit. Scillã incidere, abstergeréque author est Gal. lib. 8. operis proximè scripti, cap. proprio, per quæ illam putredini resistere certum est. Scordium ipsum Pesti aduertissimũ esse vno om

nium medicorum consensu licet affirmare. Quæ autem eius aduersus putredinem vis sit, in lib. de de Antid. cap. 12. scriptum est: Literarum scilicet monumentis à quibusdam celebribus viris traditum esse, quòd cùm in prælio interemptorum cadauera multos dies insepulta iacuissent, quæcunq. suprà Scordion fortè fortuna ceciderant, multò minùs aliis cõputruisse, ea præsertim parte qua herbã attigerant. Putredines sanare Aristolochiã scripsit Galenus lib. 6. de simpl. med. facult. id ab ipso Dioscor. mutuatus lib. 3 cap. 4. Refrigerare & exiccare Aspalathum, proindéq. ad putredines vtilem esse Galenus author est, eodem proximè scripto loco. At hæc omnia medicamenta recipit in compositione theriaca. Quàm multa sint in compositione theriacæ deobstruentia, attenuantia, abstergentiáque medicamenta, quæ putredini propterea aduersantur vel maximè, pudet pigétq. hoc loco iterum enumerare. Ne verò ob vnam theriacæ facultatem excalefacientem & exiccantem peste affectis cùm febricitant eam nõ cõuenire suspicemur, pleraque alia excalefacientia & exiccantia medicamenta ad pestem fuisse commendata demonstremus. Admonendum tamen priùs est, sæpe euenire in his qui peste laborant, vt detrusos ad externas corporis partes prauos humores & malignos euocare necesse sit, & ad easdem promptiùs trahere: quo in opere tantopere valere theriacam Galenus existimauit, vt eam foris admotam in cucurbitæ modum exugere affirmauerit, lib. de ther. ad Pison. cap. 16. internè verò sumptam humores ad partes externas per-

sæpe

ſæpe detrudere: ex quo & quibuſdam morbis cutaneis auxilio illam eſſe poſtea intelligemus. Antidotus illa Aegyptia quæ à Nicolao Myrepſo in prima de Antid. ſect. deſcripta eſt in ordine quarta, ſi quæ ſuſcipit in compoſitione medicamenta conſiderentur diligenter, excalefacit validè, & quamplurima ex illis medicamentis continet, quæ in theriacæ compoſitione recipiuntur. Idem de Antidoto Acharistos vocata ab eodem in cap. 272. eiuſdem ſect. deſcripta dicendum eſt, quam peſtilentia correptis prodeſſe ſcribit. Mithridaticam confectionem, quę citra omnem cõtrouerſiam excalefacit & exiccat, Peſti aduerſari, non ſolùm author libri de vſu ther. ad Pamphil. ſed & Galenus & poſt eum omnes ac ſinguli ad hanc vſq. ætatem affirmarunt. Itaq. non inconuenire calidum medicamentum in Peſte quæ calida eſt affectio, adminiſtrari hęc nobis ſuadent. Quod tamen ea cõditione dictũ volumus, vt nihil adſit, quod præcipuè nullaq. ex parte excalefaciẽtia admittat medicamenta. Eſſe enim poteſt, vt eos qui peſte laborant vehementer quoq. refrigerare expediat, quemadmodum Paulus, Aetius, & Oribaſius locis proximè ſcriptis ex Ruffi ſententia docuerunt. Theriacam igitur peſte laborantib. conuenire, noſtra eſt ſententia, licèt nõ omnibus. Porrò id nullo pacto admitti debere cẽſuit Iulius Alexãdrinus, ſuſcepta ex profeſſo aduerſus id ſentiẽtes diſputatione. Huius initiũ inde ſumpſit, quòd cùm peſtis omnium confeſſione febrẽ habeat putridam: ſit autem febris paſſio calida ſimúlq. ſicca, frigidis atq. humidis egens medicamentis: putre-

do verò ab extraneo cùm fiat calore & supra modum exuperante humiditate, frigida ideò & sicca expostulat auxilia. Hanc pestis putredinem in corpore quidem interdũ ex aliqua in eodem existẽte morbosa causa fieri posse concedit: vt plurimũ tamen ab aeris constitutionibus putredinosis excitari constituit. In ea autem gradus quosdam esse admonet, vt si eos insignes esse contingat, cordis substantiam caliditate afficiat ac siccitate, non tantùm superficiaria, sed altiùs sese induat, vehementiáque sua atq. acrimonia profundiùs putridos vapores suos deferat primò, quasíque putrefacere aggrediatur: tum deinde summũ putredinis gradũ adepta putrefaciat prorsus, & absumpto tãdem cordis humore omni hecticam sæpe inuehat. Quin etiam cùm soli cordis humores à labe correpti sunt, periculum esse inquit, ne ob putredinis insignem malitiam quàm celerrimè illa cordis substantiæ communicetur, & fiat hectica, nisi primo quoque tempore occurratur. Si igitur, inquit, à morbi ipsius essentia curatiuæ semper indicationes sumuntur: semper ideò in pestis curatione habenda erit ratio caloris febrilis aliqua: putredinis autem maior, (quæcunque fuerit illius causa) quoniam maius ex ea periculum imminet. Ac perpetuò febrem vnà & putredinem præ oculis habendam censuit, in quas intentionum aciem intendamus: alteram tanquam morbum, alteram tanquam causam proximam facientem morbum : quæ nisi remoueatur quamprimùm, aucto nimis morbo internecionem repentinam minatur, destructa cordis substantia. Quòd ad obstru-

obstructiones, quæ putredinis causa sunt, attinet, eas adesse inquit, cùm ex prauo victu exorta pestis est: non adesse, vbi ex aeris corruptione facta est. Porrò hãc putredinem, quanquam ingentis adeò efficaciæ esse possit vt vna die occidat, venenum tamẽ ob id eam dici minimè posse existimat. Superfluum enim esse statuit venenum ex putredine cõstituere, quoties putredo idem præstare potest, ea in exemplũ adducta peste, quam Babyloniẹ olim cõtigisse scriptum est, cùm in Apollinis templo aperta vetustissima arca exhalans inde perniciosissimus spiritus pestem ad Parthos vsque propagauit: Marcóque imperante ab Auidij Cassij militibus reserato, quod longissimo tempore occlusum fuisset, angusto quodam foramine, pestem deinde secutam ingentem: quæ omnia putredinis sobolem fuisse asserit, conclusi diu putrefactique ob id aeris. Aerem quidem putrefieri ipse quoq. concedit, & eum in modũ, vt celerrimè occidat: ob id tamen venenum illud continere negat. Male præterea plerosque statuisse subdit ex putrido aere in nobis gigni venenũ, cùm vero simile magis sit ex putredine putredinem excitari, introducta scilicet in patiente eiusdem generis forma, cũ agente non diuersa. Túncque etiam cùm per cæcas quasdam causas aerem contaminari affirmatur, siue à tota substantia, siue occultæ proprietates dicantur causæ istæ: putredinis effectus nihilominus conspici animaduertit, faciléque esse vt pessimi isti euentus à putredine ipsa citra venenũ proficiscantur, longa argumentorum serie docet. Ad hæc Galeno quidem concedit, ex calore ve-

hementes non esse febres pestilentes, si externus tantùm consideretur calor: at hũc intrinsecus necessariò vigere existimat, proindéque esse febres huiusmodi omnium maximè lethales. Pestem itẽ sine febre interdum esse quod asserit Hippocrates, de his intelligendum in quorum corporis superficie tantùm putredo ipsa continetur. Hoc enim cùm ad cor & præcordia non perueniat, neque febrem facit, neque interimit vt plurimùm, videtúrque pestis nomine indigna. Quin & pesti putredinem tãtùm, non venenum inesse eo argumento persuadere conatur, quòd eius præcautio ex omnium antiquorum Medicorum sententia in exiccatione, deobstructione corporísq. meatuum omnium reseratione consistat: quæ quidem putredinis non veneni sunt auxilia. Ad id tandem suæ disputationis terminũ deducit, vt veneni naturam à pestis putredine abesse prorsus demonstret, sumpto nimirum ab ipsius veneni essentia argumento: Propriè, inquit, absolutéq. venenum illud est, quod δηλητήριον est, quod proprietate quadam totáque, vt aiunt, substantia & natura totóque genere inimicum interimit. Improprium illud est, quod manifestis qualitatibus in summo existentibus interficit. Atque sicuti huic per manifestas qualitates occurritur: ita illi per occultas & per formam aliquam specificam. At inhorum neutro contineri pestis putredinem affirmat. Non in primo, quoniam putredinis causæ & natura in aperto satis sint, illius autem veneni lateant, & cognitioni nostræ subtractæ occultentur. Minùs in effectibus conueniunt: quando contagiosa pestis sit,

sit, venena nequaquam. Hæc carent vt plurimùm febre: pestis habet febrem ferè perpetuò. Non etiam in secundo: nequeuntibus frigidis ad summum aut siccis, aut frigidis simul & siccis, itémq. frigidis & humidis simul putredinis naturam ingredi, tantisper dum talia ipsa sunt. Est putredo euaporatio humidi innati vna cum calore suo à peregrino aduentitióque humore facta, ac præternaturali simul calore introducto. Calore igitur atque humore superfluo redundet oportet putredinosa materia. Verum quidem est, ait, in corpore nostro putredinem pestiferam ab initio & per se exoriri posse: nullus tamen Misy aut Sory, aut Chalcitin, aut calcem aut Arsenicum, aut Canharidas, aut Aconitum, aut horum quidpiam quod horum ipsorum vires referat, atque opera etiam edat in corporibus nostris exoriri dicet. Hęc quoque venena per manifestas qualitates occidentia, neque contagiosa sunt, neque febrem ex necessitate faciunt, quorum vtrunque pestilens habet putredo. Rursum neque iisdem euincuntur auxiliis: lacte enim, oleo, butyro, vino & similibus aduersus dicta venena pugnamus: diuersis omnino contra pestem vtimur. Quòd autem horum venenorum quædam putrefacientia quandoque Galenus appellauerit, impropriè id dictũ existimat, meliúsque & veriùs adurentia siue erodentia esse dicenda, cùm sit hæc putrefactio ignea: si tamen igni putrefactio tribui aliquo modo potest. Vtcunque sit, nihil in nostro corpore gigni posse Hippocratem in libro de Nat. humana scripsisse subiungit, quod qualitates in summo habeat, cu-

iusmodi dictis venenis insunt. His expeditis: vt theriacam pesti minimè aduersari demonstret, temperamẽtum eius, dotes ac facultates postmodùm inquirit, longáque oratione valdè illam excalefacere & exiccare insinuat. His itaque hũc in modũ constitutis, theriacã in pestis curatione minimè cõuenire huiusmodi argumẽtorũ serie proposita colligit. Vel enim ratione febris, vel ratione hãc facientis causę ac putredinis, vel viriũ causa theriacam cõuenire dicendum est. Horum autem nullius ratione conuenit. Assumptum ex Galeno probat. lib. 11. meth. med. cap. 9. has febrium putridarũ indicationes curatiuas enumerante, admonentéque vltro, conferendas esse illas inter se, quò an ex æquo omnium habenda sit cura, an vni potiùs quàm alij attendendum sit, sciamus. Exempli gratia deobstruentibus eget obstructio, quæ bonæ ex parte calida sunt & sicca: putredo quà putredo, frigidis & siccis, febris qua febris frigidis & humidis. Si tanta fuerit putredo quãta febris & causa, ex æquo omnibus aduersandũ erit; vincente aliqua, ei magis insistendum. Minorem deinde propositionem demonstrare aggreditur hunc in modum: Si putredinem quæ in peste est spectes: hæc vel cordis corpus occupauit, vel humores. Primo in casu auxilio vtendũ non est nobilissimo, cùm nulla sanationis spes sit. Altero verò vrgente, licèt ingẽs sit putredo immẽsa & summa, valdè exiccantibus propterea egens, idque ocyssimè facientibus, ne cordis corpori communicata putredine irremediabilis morbus euadat: locus tamen non finit totius corporis partium nobilissimus,

bilissimus, vitæ fons præcipuus, qui ferre tam acrem & vehementem remediorum vim non posset: ac tanto quidem minùs, cùm febre, quæ ex Hippocrate ignis est, laboret, vt si paulò accendatur magis, periculũ sit ne exuratur statim totum, eóque plus quòd & à putredine exilientes acres & mordaces vapores vertere tãdem tanquam in cinerem (quod putredo efficere solita est) exarefactum cor valebunt. Quapropter aduersus putredinem iustò plus siccantibus si vtamur, siccitatem siccitate adaugentes in hecticam pestilentem citò nos deducturos ægrum veretur. Theriacam itaque, cùm propter caliditatem, tum propter siccitatem suam multum pestiferæ putredini non conuenire concludit: non etiam ratione febris eam conuenire, vt certum manifestúmque supponit: veluti nec virium ratione, quæ medicamẽta non indicant: longéque minùs pesti conuenire theriacam veneni causa concedit, qui nullum pesti venenum inesse demonstrauit. Quas verò suæ sententiæ obstare animaduertit Galeni, Pauli, Aetij, & Arabum Medicorum, theriacæ vsum in peste laudantium, authoritates, eas libris quibusdam imprimis damnatis, deinde inconuenientibus quibusdam adductis è medio auferre conatus est. Librum de theriaca ad Pisonem & de vsu ther. ad Pamphil. ab officina Galeni expũgendos quibusdã argumentis statuit, amplioribus ab eodem delatis in eo libro quem Enantiomaton inscripsit. Ex hoc errore in eis libris contento incõueniens illud euenisse admonet. Propter enim temporum vicinitatem & similitudinem rerum

aliquam, quæ fallere multos solet, inanimaduersa est, inquit, & decepta insecutarum ætatum ad hãc vsque diem Græcorum Medicorum schola, inter quos Paulus quoque & Aetius fuere, quos quidẽ in faciunda medicina experientissimos prædicat: sed in rebus medicis dubiis determinandis non admodum satagentes, vt qui etiam recitatos Galeni libros acceperint, & retinuerint vt genuinos: quos Gentilem Fulginatem, Petrum Aponensem Hugonémque Senensem in his quæ Galeni sunt inquirendis debuisse imitari dixit, ne deciperentur, quanquam Græcæ locutionis periti. In hunc eundem errorem tractos esse postea Arabes Medicos, qui libros illos esse Galeni genuinos credentes theriacam in peste laudarunt. Hęc ad summum habuit vir doctissimus, quæ aduersus theriacæ in peste vsum in medium afferret, seria illa quidem & rationibus firmata speciosissimis: quæ tamen paulò diligentiùs considerata manifeste eluduntur, & claram habent responsionem. Quòd imprimis ad duos recitatos Galeni libros attinet, in quibus celebri admodum medicamento pestis euincendæ digna laus tribuitur: illud primum affirmamus, eum qui Pisoni scriptus est esse Galeni legitimum & genuinum, & quæ illi obiiciuntur omnia & singula futilia esse, quemadmodum in multis toto hoc nostro sermone ostẽdimus, idem in reliquis nunc pariter ostensuri, si illud nostri esset instituti. Sed demus illi nunc etiam libros illos non esse Galeni legitimos: Galenissare tamen quandoque Scriptorem illum ipse concedit, quod persuasisse existimat genuinos fuisse Galeni

leni libros. Quæ duo, mea opinione, multum authoritatis libris illis, & ei præsertim qui Glauconi scriptus est, tribuunt, & contentas in eo sententias haud liberè contemnendas esse admonent. Eum librum, haud ita multò post Galeni tempora Romæ cōpositum fuisse, ille idem eo argumento persuasus fatetur, quòd Marci Imperatoris aliquā-to ante tempore mortui simul & Imperatorum maximorum duorum sui temporis liber meminerit: quæ res maiorem adhuc authoritatem libro tribuit, quando si non ex officina, saltem ex doctrina Galeni prodiisse illum insinuet: ab eo nimirum qui Galeni dogmata colligere potuit. Anne vni Galeno ita addictos nos esse conuenit, vt nihil nisi ab eo immediatè scriptum accipiamus? Satis nobis nunc est magnum in re medica virum eius authorem fuisse, cuius authoritas non sit omnino spernenda: cui, vt dicebamus, & maior adhibenda fides est, si Galenum aliquādo audiuit, proximéque ad eius tempora vixit. Id faciliùs credimus, quoniam Galenum alicubi de peste & de theriaca ex professo differentem non habemus: ex quo an idem cum scriptore dicti libri sentiat, certò scire possemus. Idem de libro ad Pamphilianum scripto dicimus, qui quamuis Galeni minimè genuinus sit, cuiusdam tamen antiqui magníque Medici & à Galeni temporibus nō longè distantis opus est, id quidem apertè testantis, sua ætate theriacam pesti aduersari fuisse creditam. Libros eos qui Hippocratis aut Galeni legitimi non sunt in eo esse vtiles semper existimauimus, quòd antiqui temporis Medicorum con-

ſuetudines & placita qualia fuerint perſæpe oſten dunt, hóeque ſolo nunc ſumus contenti, quòd ex his libris nonnullos antiquos Medicos vim theriacæ aduerſus peſtem cognouiſſe validam approbaſſéque vt conuenientem conſtat. Hos ſecuti deinde alij omnes Medici rem ſic ſe habere experientiæ medio cognouerant: quæ res multi omnino facienda eſt, atque eò pluris, quòd ſæpiſſimè hac ætate multis in Regionibus peſtis exarſerit, vtilitérque in vſum theriaca venerit. Aetium & Paulũ ea quæ in libro de theriaca ad Piſonem continentur ſuis ſcriptis inſeruiſſe approbaſſéque argumento certo eſt, eos librum illum tanquam Galeni genuinum accepiſſe: quod quanti faciendum ſit, id vnum ſuadet, quòd pleraque ex genuinis Galeni libris ad verbum ſeie exſcribere profeſſi ſunt: quemadmodum & ex Antyllo, Herodoto, Ruffo, & aliis nonnullis antiquioribus Medicis. Qui ſi in his quæ ad Græcam locutionem pertinent fuerunt, vt idem Alexandrinus fatetur, peritiſſimi & experientiſſimi, Galeníque temporibus aut proximi, aut non multùm ſanè longinqui, omnis profectò ratio nobis ſuadet librũ illũ potuiſſe illos recte perpendere, difficultatibúſque omnibus perpenſis, an à Galeno ipſo ſcriptus fuerit verè cognouiſſe: at cùm ſine dubitatione aliqua quæ in eo continebantur approbauerint, nullum dubiũ genuinús ne eſſet nécne illos habuiſſe argumento eſt manifeſto. Vtcunque autem res hæc ſtatuatur, theriacam peſti aduerſari illi iidem ex ſua ſententia cùm affirmauerint, de hoc ſaltem & de authoris illius opinione eos non dubitaſſe

certum

certum est. Idem omnino de Arabibus Latinísque Medicis eandem opinionem approbantibus esto iudicium, quos sua doctrina non vulgari & acri iudicio pestis theriacæque naturam ac conditiones omnes probè examinasse certum est: id nullo pacto affirmaturos, si quę obiecta sunt tanti vt prædicantur essent momenti. Nequeo sanè satis admirari tantum virum & tantopere eruditum, vt Alexandrinus fuit, Aetium & Paulum in his quę apud Galenum dubia sunt determinandis Gentili Fulginati, Hugoni Senensi, & Petro Aponensi postposuisse: quasi de his omnibus aperti iudicij occasio non sit manifesta, & quid distent, vt est in adagio, æra lupinis non cõstet. Siue igitur à vera Galeni officina libri illi prodierint, siue nõ, quę de vi theriacæ aduersus pestẽ in eis continentur sententiæ veritatem habent, atq. eo maiorem, quia ratione, vt audiuimus, confirmatæ sunt euidenti. Quæ verò in contrariũ adduxit Alexandrinus, speciosa quidẽ satis sunt, primáq. fronte vrgere valde videntur: introspecta tamen diligentiùs euanescũt protinus, opinionémq. cõmunem magis cõfirmãt. Sumere ab eo initiũ placet, quod de veneno in peste non existente ille adstruxit, quod quidẽ accipimus vt verissimũ, verúmq. ac propriè venenũ pesti, quæuis illa fuerit, minimè inesse firmiter credimus: quia tamen celerrimè occidit eius putredo, nulliq parcere videtur, venenorũ in more tantæ ob id efficaciæ ac facultatis esse dicimus, vt cõmunia putredinẽ euincentia auxilia superet & irrita faciat, & propterea fortiori egere remedio, quod tãtæ illius virulẽtiæ aduersari pos-

ſit. Qua itaq.ratione theriaca venenis peſtẽ in efficacia ſuperãtibus aduerſatur: eadẽ & excellenti peſtis putredini aduerſabitur. Sanè verò febris ipſius à putredine in peſte excitatę rationẽ habendã eſſe rectè cũ Galeno ſtatutũ fuiſſe dicimus: ita vt medicamentis putredini aduerſantibus nõ augeatur illa. Duo tamen hac in re animaduertere conuenit ex eodẽ Galeno deſumpta: puſillã imprimis eſſe quandoq.cũ putredine febre, quę ferè paruipendatur: quandoq.deinde præſtare febrem quadantenus auxiſſe,cauſãmque mortẽ celerrimè adducente euiciſſe. Aliquando quidẽ ardentis febris veſtigia in febre conſpici Aetius, Paulus & Oribaſius affirmarunt,non autẽ ſemper.Si æſtuoſus fuerit æger,inquiũt illi, & flãma vſq.ad pectus aſcenderit, nõ fuerit alienũ frigefacientia pectori adhibere & frigidæ potum dare: quo in caſu nos quoq.theriacæ vſum dicimus non eſſe admittendũ:nã & Galenus de peſte affectis æſtuantibus interněque magno incẽdio flagrãtibus verba faciẽs, primo in 6.Epidem.com.29.idem ſcripſit.Perſępe etiam puſillam eſſe febrem hãc aut etiam eiuſmodi, quæ ſi paulò augeatur, æger propterea in maius vitæ diſcrimen non deducitur, certum eſt. Habuit tamen quod obiiceret Alexandrinus non eſſe quidem ex calore vehemẽtes febres peſtilentes externè: vigere autẽ internè.At vigere internè perpetuò putredinis vim veriſſimũ eſt, imò & neceſſarium id eſſe dicimus:calorem autẽ inſignem, non item. In humoribus craſſioribus ſuccenſam putredinem, quãquã excellentem,multũ calorem non excitare,rerum externarum exemplo digno-

ſcere

ſcere potuit vir eruditiſſimus. Peſtem ſine febre dari, nos quoq. liberè affirmare nõ audemus: eos verò quos peſte affectos in corporis ſuperficie tãtùm putredinis inſignia habere dixit Hippocrates, nõ eſſe verè peſte affectos, vt ille affirmat, certè non auſim dicere. Dicendũ potiùs eſt putredinis veſtigia interne eſſe interdũ pauca, quæ à forti virtute quàm celerrimè ad partes externas detrudantur, & febrem faciant puſillam: quibus theriacæ vſum interdici affirmare ille cùm non auderet, ad id potiùs confugit, vt eos minimè peſte affici dixerit, ſecus ac ipſe enũtiauerit Hippocrates: quaſi quidem, quemadmodum gradus multi putredinis ſunt, tita & in quantitate eiuſdem iidem eſſe non poſſint. Nunc ad putredinem veniamus, quæ ſi iam cordis corpus occupauerit, neque theriacam, neque aliud medicamentum ex vſu eſſe rectè ab eo cum Galeno ſtatutum fuiſſe intelligo. Vbi verò cordis humores tantùm illa occupauerit, licèt valdè exiccantia & quàm ocyſſimè id facientia requirantur: locum tamen vbi illa eſt, cor ſcilicet, tam vehementem & acrem remediorum vim ferre nõ poſſe aſſerit, quin auctis ab ipſa theriaca calore & ſiccitate exuratur ferè totum, & mors cita eueniat. Ego imprimis aduerſùs hæc illud adduxerim, cùm tantæ efficaciæ fuerit putredo quæ valentioribus, vt diximus, egeat auxiliis: contemnat autem minùs valentia, his non adhibitis quæ quàm celerrimè eis aduerſentur, certam mortem expectandam eſſe. Concedo itaque cor ipſum in peſte affectis exiccatione non egere vehementi, minúſq. etiam excalefactione: ſi tamen

cius humores excellenti adeò putredine affecti ab his quæ etiam valentiùs exiccant quàm celerrimè corrigantur, illius è vestigio impeditur exiccatio. Neque est vt medicamenti breui tempore administrati (celerrimè enim quod hoc in casu desideramus præstat theriaca) in morbo præsertim breuissimo exiccationem hanc tantopere vereamur. Hæc licèt cordis corpus paulò plus exiccare apta sit: putredine tamen ocyssimè euicta vita seruatur, & iuuamentum nocumento maius est. Periclitandum esse nobis in hisce extremis morbis Galenus & alij omnes vbique suadent: præcipitantérque quodammodo in peste affectis esse administranda remedia Celsus consulebat. Non in referendis ex arte exemplis frustra tempus conterere opus est, quibus aliquid interdum nocumenti inferendum esse docemur, vt multò plus iuuemus, cùm sit res cuique manifesta. Dicendum potiùs non ob id tantùm quia exiccet theriacam huic pestiferæ putredini resistere: sed etiam per occultam quandã suam facultatem, causas omnes nostro corpori inimicas euincentem, ex eius cõpositione resultantẽ, quę in aliis exiccãtib. medicamentis minimè reperitur. Quòd verò ad cordis calorẽ attinet, quis negat eum minimè esse augendum? Est tamẽ pusillus interim, putrescẽtibus videlicet frigidioribus humoribus, vt vix ab excalefaciẽte medicamẽto augeatur: & vbi illum quadãtenus augere necessitas cogat, pfectò euicta putredine, mortéq. impendente, pcul repulsa, magno eũ fœnore damnũ illud resarcitur. Porrò eiusmodi frigidiores humores, cordis etiã calorẽ attem-

perantes

perantes, in peste affectis nonnunquam reperiri, qui pulsum tanis ferè similem efficiant, Galenus ipse author est in lib. 3. de præsag. ex Pulsib. cap. 4. Sed ad quid hecticam pestilentem tantopere vereri par est, quando putrescentis tantùm aeris soboles quædam esse illa videatur, aut saltem peste ab alis causis exorta tantus huius hecticæ timor non adsit? Sanè verò certum hoc est, cùm in his tantæ efficaciæ putredo non sit. Quinimò in ea quæ ob malos cibos succenditur peste, prauis humoribus referto corpore, quemadmodum Galenus docet in lib. de cibis boni & mali succi cap. primo, solam in cordis humoribus putredinem adesse non dixeris, neq. ideò huius hecticæ periculum euidens adeò esse: quapropter & tutior omnino tunc erit vsus theriacæ. Nolo tamen pertinax esse adeò, vt minùs exiccanti simúlque refrigeranti medicamento pestis putredinem ex æquo euincere valenti, theriacam velim anteponendam. In eo laboro vt ostendam, posse quoque conuenire theriacam. Et quidem consideranti mihi medicamenta omnia pestis virulentiæ aduersantia, nullum theriacæ anteire posse, pauca illi æquiparari dubore inuenio. Sed nec illud reticendum est, refrigerantibus quibusdam medicamentis theriacæ mixtis posse nos eius excalefactioni occurrere: quod quidem Galenum & alios antiquos medicos nos docuisse postmodũ ostendemus. Quòd dixerit autem vir iste laudatissimus, in ea peste quæ aeris putredinem non habet causam efficientem nullas adesse obstructiones, id quidẽ apud nos valdè dubium est. Vtcunque autem res

verè se habeat, & quæ sine obstructione excitata putredo est, euinci postulat & corrigi: neq. obstructionum absentia theriacæ vsum ostendit superfluum. At quoties aliæ causæ pestis obstructiones fecerint, has à theriaca reterari posse dicimus. Quãuis verò alio minùs valido auxilio possent aperiri: valentiora tamen expostulat excellens adeò putredo auxilia. Quapropter quocunq. rem istam vertere libuerit, theriacam aduersus pestem omnem optimum esse auxilium, res est, vt ego sentio, certa prorsus & euidens.

PESTILENTES FEBRES THERIACAE VSVM QVATENUS admittant.

Caput Trigesimum.

EX hac porrò mira atq. efficaci aduersus pestẽ theriacæ facultate maximã video inter recentiores medicos exortam controuersiã, de eiusdem contra pestilentes dictas febres virtute: asserentibus multis posse illam harum febriũ malignitatem infringere: aliis hoc ipsum absolutè negantibus. Cõtrouersiæ occasionẽ inde enatam esse censeo, quia multa inter has febres & pestẽ ipsam esse videatur conuenientia. Plura sunt à plerisq. hinc inde pro sua opinione sustinendam in mediũ adducta: vt viri doctissimi & nominis qdẽ magni, Vincentius Calrauella, Iosephus Valdanius, Alexander Massaria, & Hercules Saxonia de re huiusmodi inter se decertan-

certantes integra ediderint volumina, re ipsa, vt ego sentio, ad plenũ omnino pertractata: ita vt superfluũ prorsus esse videatur rem actã agere velle. Pro eo tamen quod præsenti loco à nobis exquiritur rem eandẽ breuissimè perstringemus, his imprimis sine mora assentiẽtes, qui theriacę vsum in his febribus recusant. Hoc nos non ea ratione asserimus, quòd inconueniens sit medicamẽtum, nullásq. aduersus febres huiusmodi vires habeat: (habere enim eas validas certũ est) sed propterea quòd tuti vsus minimè sit. Febrium autẽ pestilentiũ nomine aut eas intelligimus quæ verè & propriè sunt pestilẽtes: aut eas quæ impropriè, siue, vt dicũt, abusiuè tales dicũtur. Proprias pestilẽtes febres eas esse dico, quæ pestẽ ipsã insequũtur, pestis potiùs nomine appellandas: improprias illas, quæ citra pestem succeduntur, à quodã putredinis excellentiore gradu excitatæ, cuius occasione ad ipsius pestis naturã accedere quadantenus videtur, dicuntúrq. propterea pestilentes. Huius hanũ febriũ distinctionis author est Galenus, primo in 6. Epidem. com. 29. his verbis: In sermone cũ huic voci, penphingodes, hęc, terribiles, adiecta sit, sola pestilens febris denotatur, cuius ab aliis calor per putredinis excellentiã differt: sicuti in hac nostræ tempestatis longissima pestilentia visum est. Atq. idcirco neque calidi & perurentes qui peste laborabant, tangentibus videbantur, quemadmodũ & Thucydides aiebat: quibus verbis febrẽ pestilentẽ appellasse Galenũ eam constat, quæ pesti ipsi adiicitur, éstq. pestis ipsamet: qua eadem significatione vsum eum fuisse certum est, cùm libr. 3.

de præsag.ex pulsib.cap.4.tum lib. primo de differ.feb.cap.4.& lib.de the.ad Pison.cap.16.Cùm verò 3.in 3.Epidem.com.57.hæc habuit: Et pestis quoque illa longissima,quæ nostra ætate vulgata est,ex iis quæ per aluum vacuantur omnes propè peremit. Quæ euacuabantur, erat colliquatio: quod quidem esse symptoma videtur in perpetuum febris quam pestilentem priuatim vocitāt, cùm mortales vel citra pestem corripiat: febrem aliquam pestilentem, quæ pestis non est, inueniri docemur.Hanc eam febrem esse puto,quam mali moris appellauit Galenus idem : quæ non nisi ad pestilentes reduci posse videatur,si præsertim ipsius vocabuli vim ponderemus. Quia itaque symptomata quædam habent hæ febres cum peste communia,occidúntq.pariter,licèt non vsque adeò,dicuntur propterea pestilentes. Febres ea propter illas,quæ exanthematum in cute extuberantiam habent , ob id à recentioribus vocatas fuisse pestilentes existimo , quia in eis ad partes externas detruduntur humores, vt in peste: colliquationes sæpe habent , & multoties occidunt. Itaque si quæ propriè & verè pestilentes sunt per putredinis excellentiam quandam ab aliis differāt, vt proximo præcedēti capite ex Galeno didicimus: profectò & has,licèt impropriè sint pestilētes,quia cū peste quidpiam cōmune habent, ab aliis per quendā putredinis gradum maiorem differre dicendum est.Qua igitur ratione pestis putredinem euincere apta est theriaca,eadem & harum febrium putredinem euincet,& facilius.Sunt enim eædem vtriusque putredinis euincendæ indica-

dicationes ſola maioris minorſque differentia diuerſæ: vt vel ex hoc vno argumento impropriè dictis febribus peſtilentibus theriacam cõuenire, dici debere videatur. Profectò eiuſmodi argumenti genus magni omnino momenti eſt, rei ipſius natura illud idem confirmante. Ob id autem quia minimè tutus eius ſit vſus, illam propterea haud conuenire affirmamus. Sæpe ac ſæpius in medicina faciunda videre eſt, quod morbi natura & cauſa indicant auxilium, hoc idem minimè tutum eſſe. Rei huius ratio ex his quæ de peſte diximus petenda eſt. Quanquam enim peſti febrem adiici cõtingat, ipſaque inſignis exiccatio parum tuta eſſe videatur: quia tamen deleteriam prorſus vim habet eius putredo, potentiſſima ideò requirit auxilia, & præſentaneum poſtulat ſubſidiũ: theriacámque ideò in ea conuenire oſtendimus. In iſtis verò febribus, licèt magnarum virium ſit earum putredo, & illa quidem excellens, cùm tamen mitior multò ſit: medicamentis propterea leuioribus & conſequenter etiam tutioribus poteſt euinci. Non eſt in corde excitata harum febrium putredo, ſed in maioribus dictis vaſis illi propinquis, & propterea maiores dat inducias. Multa ſunt refrigerantia exiccantiáq. mediocriter medicamenta, quæ putredinem iſtam poſſe euincere & ratio docuit & experientia confirmauit: vt propterea temerarium eſſet fortiori non requiſito minúſque neceſſario, vti auxilio quadãtenus vltro lædente. Lædet porrò theriaca plus quàm par ſit exiccando, earúmque febrium quæ vt plurimùm calidiſſimæ ſunt calorem augendo.

Sed quid pluribus vtor in ea re, quæ ab aliis plenè perfectéque est determinata?

ELEPHANTIASIN QVOMODO SANET THERIACA.

Caput Trigesimum primum.

MORBVM, quem Græci pariter ac Latini Græcos imitati Elephãtiasin nominant, ab ipsa theriaca sanari posse, eius productrix causa notum facit. Totius corporis cancrum esse hunc morbum docet Actuarius lib.2. suæ meth. med. cap.11. à nigra bile suum ducentẽ cõstitutionis initium, Galeno idem asserente lib.3. de cau.sympt.cap.2.& lib.2. de crisib.cap.12. Et is quidem succus totum corpus occupare ab iisdem dicitur, quando & in vniuerso corpore cancrosos tumores in hoc morbo extuberare contingat, ita vt figuram naturalem eum immutare dixerit Galenus lib.de cau.morb. cap.7. Quo itaq. nomine hoc morbo affectis prosit theriaca, ex his quæ de eius vi ad melancholicum humorem absumendum antea dicta sunt liquidò cõstat. Verùm eo quoque nomine his prodest, quia, vt inquit Aetius, corruptionem corporis fieri prohibet: confirmatis scilicet viscerum internorum viribus, caloréque natiuo firmato. Quotiescunque enim cõfirmatus fuerit morbus, omnem medicamentorum vim tanquam nihil conferentem respuere, séque prorsus insanabilem præstare, viri iidem proximè adducti animaduerterunt.

terunt. Galenus proinde in lib.de sub fig.empirica cap.3.multis priùs experimentis cõmotus,Deique tandem monitu confirmatus,certam se concepisse spem testatus est sanandi elephantiasim, medicina è viperis confecta quam theriacam vocãt, saléque theriaco dicto:quinque historiis ibidem priùs enumeratis,quibus viperas elephantiasi oppressis succurrere deprehenderat. Scripsit & alias hoc idem confirmantes historias lib. II. de simpl.med.facult.cap.de carne viperæ. Atque his quidem historiis eò maiorem fidem nos adhibere conuenit,quando alias prorsus verisimiles Galeni placita confirmantes Aretæus Cappadox lib. 2.de cau. & signis diuturn. morb. cap.vltimo descripserit.Viperas esse eas quæ malignissimũ hunc morbum euincunt, historiæ illæ omnes docent, quemadmodum cuique eas legenti notum fiet.Id facere viperas loco scripto Galenus asseruit, quia per halitum ægritudo ab eis discutiatur. Viperinorum itaque pastillorũ multam portionem theriacæ inesse,eius à nobis declarata in priori libro compositio manifestum facit. Quò verò magis medicamenti huius aduersus calamitosum hunc morbum elucescat efficacia,quæ de iisdem morbo & medicamento,lib.2.ad Glauc.cap.10.Galenus scripsit placet hic adscribere : Sed ,inquit, iis qui elephantiasim patiuntur in viperarum esu est mirabile auxilium : Paucísque interpositis lineis hæc subdit : Ipsum etiam medicamentum confectum ex viperis, quod theriacam appellant, optimum est ad potandum iis qui huiusmodi morbo laborant, vel etiam sicui libuerit ad cutem obli-

niendam: ex quo maior quoque hoc in opere ostenditur theriacæ efficacia. Laudarũt viperarum esum, salem theriacum & theriacam ipsam in cura Elephantiasis Aetius, tetrab. 4. serm. 1. cap. 123. Aretæus lib. 2. de curat. diut. morb. cap. 13. Oribasius lib. 6. Synop. cap. 51. & lib. 3. de morb. curat. cap. 62. Auicenna lib. 5. sum. & tract. primo cap. 3. & Haly Abbas libr. 10. pract. cap. 5. Ex hoc verò quòd Elephantiasi ipsi miro quodam modo aduersetur theriaca, lepræ quoque, Morphææ, cæterisque affectibus cutaneis ex succo melancholico productis eandem aduersari collegerũt Auicenna & Haly locis proximè scriptis, Auerroésque lib. de ther. cap. 1. Atque hi sunt illi morbi, quos ad theriacæ vim vltro patefaciendam in exemplum adduxerunt antiqui Medici: non quidem quia his solis eam aduersari existimauerint: sed vt his tanquam norma quadam vtentes, quibus aliis occurrat illa, facillimè intelligere possemus. Eorũ nanque memores quæ in lib. de vsu ther. ad Pamphil. scripta sunt, ad longè plures morbos euincendos valere theriacam fatebimur protinus: Vt paucis, inquit ille, multa colligam, in quibus alia remedia vi morbi superata nihil contulerint, in his theriaca exhibita præter omnem expectationem egregiè operatur. Quamobrem & cholericis quibus iam vox intercepta erat, & Cardiacis præ dolore ventriculi deficientibus exhibita, tanquam ad vitam eos reuocauit. Cæterùm omnia verbis consequi non possum, nec si possem deceret, cùm ex his quæ hactenus recensita sunt deducta vsus ratione fœliciter vti theriaca quisque possit in aliis etiam

etiam morbis qui ſuperſunt. Quantum item à recta via ij recedant, qui ſuperfluum hoc tempore vſum theriacæ conſtituunt, ex his conſtat manifeſtè.

QVIBVS HOMINIBVS DANDA SIT THERIACA.

Caput Trigeſimum ſecundum.

QVANQVAM tot morbis occurrat theriaca, & in iis profligandis miræ cuiuſdam ſit efficaciæ, propter tamẽ hanc eandem eius inſignem vim neque omnibus hominibus, neque omni tempore, modo & quantitate eam conuenire admonemur. De illius ideò recto vſu diſſerentibus hæc quoque omnia & ſingula probè determinare expedit. Quòd enim omnibus hominibus non conueniat theriaca, eius temperamentum in cauſa eſſe videtur, quod multæ caliditatis cùm ſit & vehementis ſiccitatis, iis qui temperamento ſunt calido & ſicco videtur nocua futura theriaca, febríſque, inflammationis, alicuiúſve calidioris ſicciorſque morbi periculum ex eius adminiſtratione impendet ferè certum. Certius id quidem, quò calidius ſicciúſque eſſe contigerit theriacam aſſumentis hominis temperamentũ, & longior medicamenti vſus. Quin etiam in his qui calidas inhabitant regiones, ſiue quia temperamento calido eos eſſe ferè neceſſe ſit, ſiue etiam ex Regionis caliditate id corporibus eueniat, quod ex calido tempera-

mento :inconueniens propterea esse videtur eiusdem medicamenti vsus. Sanè verò ratio quoque ipsa hoc ipsum suadere videtur vel maximè, quãdo distemperantias omnes à similibus lædi à Galeno tanquam axioma quoddam constitutum sit in Arte medicinali. Quapropter hac ille vsus regula, in lib. de ther. ad Pison. cap. 17. calido & sicco temperamento præditis calidásque regiones habitantibus theriacæ vsum interdixit. Hunc secuti sunt Aetius tetrab. 4. serm. primo cap. 96. Actuarius lib. 5. suæ meth. med. cap. 6. Auerroes in lib. de ther. cap. primo, & Auicenna lib. de viribus cordis tract. 2. cap. 4. Quapropter cùm mediæ ætatis homines iuuenésque pariter, si ad alias ætates conferantur, calidiores vsquequaque esse dicantur: iis propterea etiam theriacæ vsus ab iisdem interdictus fuisse videtur. At pueris pariter interdictam ab eisdem fuisse theriacam constat: non quidem propter in eis abundantem natiuum calorem, acri eo caliditatis gradu qui in iuuenibus viget non refertum, & cum multo humido iunctum: sed quoniam, vt proximè scripto loco Galenus docet, ipsius medicamenti magnitudo puerorum vires plurimùm excedit. Nam & puerile corpus facilè dissoluit, & complantatum spiritum celeriter extinguit, non aliter atque lucernę flammã plus quàm conueniat infusum oleum. Et quò magis ad id obseruandum quisque suaderetur, pueri ab intempestiuo theriacæ vsu soluti & mortui historiam ibidem adiecit. E cõtra quibus ætas in senium iam vergit cessante calore, tutum vndique esse existimarunt viri recitati medicamen-

camentum. Equidem ſunt hæc huiuſmodi, vt debeant à quoque accipi & obſeruari. Habemus tamen quæ aliter ſuadere videantur, & horum medicorum ſententiam nolint à nobis abſolutè eſſe amplectendam. Pueris, iuuenibus, hiſque qui in vigore ætatis ſunt theriacam ſi interdixeris, ſolis ſenibus eam prodeſſe dices. Hoc imprimis non aſſeruerunt Andromachus & Damocrates. Sunt deinde biliosi ſenes aliqui, iuuenibus pituitoſis longè calidiores. Neque Hippocratem dicentem cuilibet quemlibet morbum accidere poſſe, & quoſlibet in quibuſcunque temporibus morbos fieri, in alium ſenſum accipi poſſe ſentio, quàm quòd cuicunque ætati temperamentum quoduis cuenire poteſt, ad quoſcunque morbos ineundos aptum. Quare etſi in iuuenibus ipſis, reſpectu ad alias ætates habito, dicatur quidem plus ineſſe caliditatis & ſiccitatis: aliquis tamen ſua natura frigidus & humidus minus caliditatis habebit ſene ſua natura calido & ſicco. Adde aliquem iuuenẽ morbi cauſa frigefieri potuiſſe adeò, vt ſene validiore minùs caliditatis habeat. Propterea quoſdã reperiri iuuenes & ætate vigentes homines hæc ſuadent, in quibus tanta nõ adſit caliditas ſiccitati iuncta, quæ theriacæ vſum renuat. Sed fac ſenem ætate vigentem, iuuenem: fac ſi lubet & puerum venenum ſumpſiſſe, aut ſic ferente caſu ab aliquo venenato animali ictum fuiſſe: ánne horum alicui propter caliditatem & ſiccitatem theriacã interdicemus? Memineris eorum, quæſo, quæ de vſu theriacæ in peſte determinata ſunt, quæ eadẽ in hunc locum ſi retuleris, tanta vrgente vitæ fu-

gientis retinendæ necessitate cuique ætati, temperamento, & Regioni theriacam conuenire dixeris, & iuuamentum lõgè maius nocumento futurum. Dabo theriacam calidos homines sic affectos nimio plus excalefacere posse: dabo item eandem eisdem quomodocunque aliter obesse posse. Dicam solùm eos cito morituros, nisi potentissimo Alexipharmaco, quale est theriaca, fugiens eorum vita retineatur. Magno profectò cũ fœnore sustinebitur læsio huiusmodi, cui deinde nõ multo negotio occurrere poterit diligens prudénsque Medicus. A vipera horum aliquem commorsum fuisse effingas. Huic morsui vnã occurrere theriacam sæpius hucusque audiuimus: ánne fortè in hoc casu ætatis aut temperamenti ratio erit habenda? Sed & eo argumento id persuademur magis, quòd recentiori theriaca aduersus venena & venenatorum animalium morsus vtendũ nobis est, in qua quidem minus caliditatis inesse didicimus. Morbos frigidos humidósque, quibus theriacam occurrere proximè docebamur, iuuenes & ætate vigentes corripere posse vsque adeò constat, vt pluribus non debeat demonstrari. Horum igitur naturalis caliditas si morbi euentum prohibere non potuit, neque etiam à medicaméti caliditate augebitur nimis. Si verò vnius caliditatis occasione ætates quasdam suspectas habet theriaca: cùm hæc perpetuò non excalefaciat, perpetuam quoque in his ætatibus & temperamentis non habebit interdictionem. Recentem theriacam frigefacere, adeò vt obstupefaciat, iam ostensum est. Tantùm igitur abest vt calidis naturis

& æta-

& ætatibus sit hæc nocitura theriaca, vt potiùs superfluam caliditatem sit attemperatura. Quin etiam obstupefacientium medicamentorum vsus id postulat, vt maxima vbique præcedat eorum necessitas, qua præsente, si Galeno de eorum vsu differenti credimus, nocumenti quidpiam paruipendit Medicus, dummodò iuuamenti multum sibi promittat. Neque etiam absolutè adeò senibus videtur cõuenire theriaca, qui in vltimo tandem senio constituti minimum caloris habent: quippe quem longè faciliùs dissolui & extingui à calore theriacæ persuademur, quàm in pueris calore natiuo abundantibus. Refrigerantem verò theriacam eos minùs ferre posse nobis videtur, ne fortè calor eorum pusillus è vestigio extinguatur. Nullũ senem vires habere integras Galenus libr. 11. meth. med. cap. 8. & ob id ad frigidæ potum senes omnes ineptos asserebat. At eadẽ ratione ad medicamẽtum hoc, siue excalefaciens, siue refrigerãs fuerit, inepti dicẽtur. Per hęc itaq; admonemur, moderatione aliqua egere quæ ab initio de his quibus non conuenit theriaca proposita fuere, & hominibus calido temperamento præditis in ætatéque puerili, iuuenili & vigente constitutis theriacam quandoque maxima cum vtilitate offerri posse. Hoc sine dubio considerantes recitati Magistri nostri, iismet locis ab initio adductis, si quæ scripserunt diligentiùs attendantur, idem omnino statuerunt. Galeni verba hæc sunt: qui media sunt ætate, & qui naturalem temperaturã calidam admodum habent, neque multoties, neque multum theriacæ accipient: cùm verò de inter-

dicenda pueris theriaca locutus est, idem quoque sensit, & de hac re longiorem in controuersiis habuimus orationem. Aetij verba eadem sunt prorsus cum his quæ scripsit Galenus, & propterea eodem modo intelligenda. Actuarij autem sermo fuit huiusmodi: In ætatis vigore aut nimio calore, haudquaquam nisi periculum euidens metuatur, danda est theriaca. Sic & Auicenna calidis & siccis regionibus ac temperamentis theriacam absolutè non interdixit, quia necessitate vrgente illã concedit. Eadem esto de senibus determinatio, vt imprimis non de vltimo senio sint antiquorum scripta interpretanda. Et in hoc quoque si necessitas vrgeat maxima, qua conuenit animaduersione vti poterimus. Hæc itaque rectè omnia. Ad maiorem tamen præsentis rei declarationem, vtque quibus conueniat theriaca planiùs determinemus: grauidissne mulieribus tutò exhiberi possit hæc Antidotus, consideratione digna res nobis visa est. Amarissima enim pleraque medicamenta cùm contineat theriaca, minimè tutò grauidis offerri posse videtur. Enecant enim quæ amara sunt fœtum, Galeno monitore libro 8. de simplic. med. facult. cap. de cucumere agresti. In eadem Antidoto quædam sunt quæ peculiari vi sua fœtum perdunt, eundem mortuum detrudunt, & abortum perpetuò faciunt: castoreum scilicet, Euphorbiũ, Myrrha, Aristolochia, Thlaspi & Dictamnũ. Iam & eandem retentos menses mouere proximè didicimus. Fœtũ euellere vehementer calefacientia medicamenta thymi exẽplo Galenus admonuit lib. 6. de simpl. med. facul. cap.
de

de thymo: theriacam verò magis excalefacere ac faciat thymus certum est. Theriacam tandem ipsam fœtum eiicere eius qui librum de vsu ther. ad Pamphil. scripsit fuit opinio. Quibus nominibus grauidis mulieribus minimè tutò exhiberi posse theriacam constat. Sanè verò hæc vera esse existimo omnia, atq; adeò firma, vt nullo queant infringi argumento. Sunt quidem qui existiment non ita verendum esse vsum theriacæ in grauidis, quoniam etsi Castoreum habeat & alia multa amara, nõ officiet tamen multùm, quoniam à contrariis retunduntur eorum vires: imò ex ea mistione symmetrum quid tale producitur, quod aptum est calorem nostrum fouere & augere: neq. amaritudo tanta est, vt fœtum perdere possit: melle enim & vino dulci temperatur, paruáque illius quantitas datur, cuius amaritudo antequam ad fœtum perueniat omnino erit dissipata. Horũ tamen tuta parũ nobis videtur opinio. Nã licèt retundãtur inter se medicamentorũ theriacã ingredientium vires, resultat tamen ex hac cõpositione medicamẽtum, vt audiuimus, valdè attenuans, cuius vsus in grauidis est omni ex parte periculosus: neque tamen hac ratione nocere nequit, quãuis calorem nostrum foueat, quia sic in omnibus absolutè conueniret. Amaritudo verò medicamẽtorum, licèt à melle & vino dulci temperetur, indéque compositio gustui minùs ingrata euadit: remanet tamẽ amaritudo in medicamẽtis tanquã in propria substãtia, neque verè minuitur: neque in parua quantitate fidendũ, cùm præsertim longus eius vsus futurus est. Vtcũque autem sit, quæ à

nobis adducta sunt, tutius esse ab ea in grauidis abstinere nobis insinuant. Imò vrgent ea tantopere, vt veneni quoque causa non sine maxima animaduersione possit theriaca rectum in vsum in grauidis venire. Quibus itaque hominibus conueniat theriaca, ex his satis manifestum esse puto.

QVO TEMPORE EXHIBENDA SIT THERIACA.

Caput Trigesimumtertium.

EIVSDEM quoque medicamenti vis insignis & admiranda impedit quominus anni, diei, morbi, eiúsve accessionum quouis tempore tutò exhiberi possit. Quo enim anni tempore aeris constitutio calida est, vt in æstate, calefieri adhuc magis corpus à theriaca periculosum esse Galenus censuit in lib. de theriac. ad Pison. cap. 17. ea adducta Hippocratis sentētia, qua Sub Cane & ante Canē difficiles esse purgationes admonuit 4. aphoris. sect. aphor. 5. nimirum quia anni pars ea febrem vt plurimùm hominibus afferat. Si tamen quæ de calidis hominibus & de calida regione, quæ item de vsu theriacæ in peste, & de eius temperamento dicta sunt, memoria repetantur, æstatis tempore theriacæ vsum non omnino nobis interdici intelligemus. Recens nanque theriaca cùm refrigeret, æstatis calorem insignem corporibus cōmunicatum non augebit modò, sed retundet potiùs. Hæc veneni causa in vsum venire magis debet: necessi-

necessitatéque vrgente cuiuscunq. ætatis theriaca erit administranda, cœlíque temperies non adeò timenda. In aliis morbis veneno carentibus vtilitatem & noxam dimetiri expediet, & quod magis proficuum futurum esse ratio suadebit amplectendum erit. Quod idem de theriaca præseruationis causa in vsum deducta dicendum nobis videtur. Nec Galeni adducta authoritas, quæ & ipsa etiam de præseruatione est intelligenda, strictè adeò accipienda est, quin aliquam habeat in extremis necessitatibus limitationem. Quis est deinde qui dicat totius æstatis caliditatem eam esse, quæ calidorum medicamentorũ vsum prorsus prohibeat Etenim in recitato aphorismo ipse Hippocrates eam tantùm æstatis partem excepit, quæ sub Caniculæ exortu & paulò antè cõtingit, quasi aliarum eius partium caliditatem tantopere non vrgere existimauerit. Nec eo ipso Caniculæ tempore purgationes prorsus interdixit Hippocrates, quanquam eas difficiles esse nos admonuerit. Sunt difficiles, inquit in com. Galenus, quia complures purgati hoc tempore in febres incidunt: Igitur non omnes. Cæterùm nec æstas vt æstas, nec Canis ortus vt hic vel ille, purgationes faciunt difficiles: sed quia his temporibus caliditas aeris corpora deflagrat, humoréque foras trahit, secus ac faciat purgans medicamentum. Neque tamen perpetuum est, in nostra præsertim regione, vt Canis tẽpore exurant Sirij calores, cùm interdum hæc æstatis pars aliis sit mitior. Adde & ipsam theriacam humores ad partes externas detrudere & aeris caliditatem in hoc imitari. Hæc

considerans, opinor, Aetius minimè absolutè locutus est: sed restrictiùs: In æstate, dixit, in totum non danda theriaca: Locus in quo hæc leguntur est cap. 96. serm. primi tetrab. 4. In hyeme nullam constituerunt antiqui medici in vsu theriacæ difficultatem: quasi eo tempore tutum vnde quaq. esse eius vsum cognouerint: quibus quidem non repugno. Illud tamen animaduersione dignum esse censeo, sicuti excalefaciens theriaca frigidis hisce temporibus tutioris omnino vsus esse videtur ita quoque cùm refrigerantem adhuc habet facultatem, minùs tuta: necessitate tamen vrgente maxima à prudenti medico ac perito posse & illam administrari. Porrò de aliis anni temporibus minimè locutos fuisse antiquos medicos arbitror, quia nullam habeant in huius medicamenti administratione difficultatem. De morbi autem tempore, in quo theriacam exhibere conueniat, ego sic distinguendum censeo: vt scilicet in his morbis quorum materialis causa coctione eget, vt in febribus putridis, aliisque omnibus morbis in quibus quomodocunque humorum coctio requiritur, non debeat illa exhiberi prius quàm probè concocta fuerit materia: at in morbis humorum tantummodò attenuationē absterſionémq. & incisionē postulantibus, post vniuersalem corporis expurgationem. Ante statum non esse exhibendam theriacam in quartana febre statuit Galenus lib. primo ad Glauc. cap. 11. Qui quidem ab intempestiuo illius vsu Eudemi quartanam conduplicari debere præcognouit, vt in lib. de Præcognit. ad Posthum.

Posthum.cap.2.idem scripsit. Aetius & ipse loco proximè citato tunc theriaca vtendum esse in quartana febre existimauit, cùm perfecta coctio apparet in vrinis. Actuarius ad id se restrinxit, vt post declinationem eam exhiberi voluerit. Sed ne aliter quidem faciendum nobis esse ratio ipsa suadet, cùm euacuet humores theriaca vel per vrinam, vel iis ad cutem detrusis, vel etiam eisdem insensibiliter absumptis: quas euacuationes non concocta priùs materia moliri res est apud medicum vnumquenque omni ex parte periculosa. Hac vna eadémque ratione in aliis morbis, coctionem huiusmodi non requirentibus, vniuerso corpori consulendum priùs est antequam exhibeatur theriaca, illúdque à communibus excrementis aut quacunque alia humorum superfluitate & multitudine ante expurgare, ne fortè theriaca exhibita hinc inde excrementa superfluique humores in diuersas corporis partes magno ægrotantis incommodo diducantur. Galenus ob id lib.5. de tuend.valetu.cap.6. de exhibenda senibus theriaca sermone instituto, dandam eam esse iussit, vbi post obstruentes cibos ea quæ obstructiones liberant ante hanc exhibueris: quod si, inquit, istiusmodi subducta aluus sit, postridie vtilissimè theriacen dederis. Particulariùs verò quando danda sit theriaca, & quo die, morbi accessiones, si quę sunt, ostendét: earũ enim principium, augmentum & statũ euitare cõuenit, & declinatio eligẽda: quin & hęc quoq. omni studio euitanda est, si accessionum intermissiones

morbum habere contingat. Hæc illum approbaturum arbitror, qui vel mediocriter in his quæ ad medicinam rectè faciendam pertinent versatus fuerit, apúdq. Galenum legerit lib. de tot. morb. temporib. cap. 4. cùm primùm sensui manifesta declinatio fiat, tunc conuenientibus vtendum esse præsidiis: quæ eiusdem fuit sententia in Introd. lib. cap. 14. In aliis morbis, quemadmodum & in sanis theriacam ad præseruationem sumentibus, matutinum tempus eligendum erit, ieiuno scilicet adhuc existente homine. Profectò singula hęc omnia à quocunque approbatum iri intelligo, quia ab ipso Galeno & aliis antiquis medicis de recto theriaces vsu differentibus fuerint priùs determinata. Ante accessionem dandam esse theriacam Paulus statuit, lib. 7. cap. 11. Duabus horis ante inuasionem in febre quartana theriacam se solitum exhibere Galenus affirmauit, in lib. de ther. ad Pison. cap. 15. quem est secutus Aetius, tetrab. 4. serm. primo, cap. 96. hicque idem theriacæ exhibendæ tempus commodum esse constituit, cùm probè concoxerit ipsam accepturus, ciborũ copia non oneratus ieiunúsque, quo sufficiens tẽporis interuallum supersit ad ipsius pharmaci cõcoctionẽ: idémque sensit Actuarius lib. suæ meth. med. cap. 6. sed & Auicenna lib. 5. sum. prima tract. primo cap 3. sumpto ab Hydropę exemplo, ante cibum iussit offerri theriacam. Qui lib. de vsu ther. ad Pamphil. scripsit, Principes viros Romæ, theriacam vt præseruarentur ebibentes, curato priùs leniter ventre circiter horam diei tertiam eam ebibere consueuisse scripsit. Eos aliàs primo

Lunæ

Lunæ die, aliàs quarto medicamentum sumere solitos fuisse, eodem quidem loco scriptum est. Hoc ego superstitioni potiùs cuipiam tribuendum duco, quàm quòd rationem in se habeat, ac ne apparentem quidem. Andromachus & ipse hæc hunc in modum scripsit:

Sic commixta tibi vel claro mane bibatur,
Vel cum nox primam protulit orta facem.

Hęc sanè omnia cum rectè obseruare expedit, qui tempore conuenienti sanis ægrotísve theriacam est oblaturus. Hi tamen excipiendi sunt, quos venenum sumpsisse aut ab animali quopiam venenoso ictos fuisse casus tulerit: atque vnà cum his, qui peste laborant, & qui obstupefaciente egent auxilio: quibus statim & quàm celerrimè auxiliũ afferri debere ratio imprimis suadet, deinde & Galenus suis consiliis admonet. Si quis venenum sumpserit, aut à venenosa fera ictus fuerit, non ob id tantùm Alexipharmaco statim eget, vt quàm celerrimè veneni vis infringatur: sed etiam vt ad ei resistendum principes partes ocyssimè muniantur: tantúmque periculi in ipsa mora constitutum video, vt vel horulæ momento sæpissime deperdatur occasio, in his venenis præcipuè quæ breuissimè occidunt. Esto mihi eadem pestis ratio, quæ veneni vires cùm æquet, celerrimum & ipsa aduersus suum virus expostulat auxilium. Neque etiam qui sensuum obstupefactione egent inducias dant longas, ne fortè viribus semel deperditis omnia postmodùm irrita euadant, sed auxilium haud cunctanter postulant. Galenum eapropter matronæ illi Romanæ sanguinem expuenti

cùm dormitura esset theriacam, opij viribus præpotentem ad somnum inducendum & incrassandum, exhibuisse constat lib. 5. meth. med. cap. 13. Scripsit ille idem in libr. primo de semine in cap. 16. minimam particulam humoris lethalium venenorum, quę deleteria appellantur, animalis corpus ingressam, totum id momento temporis immutare, sibíque simili affectione alterare: nec secus fieri curationem, quæ per venenorum remedia & antidota exhibetur, Alexipharmaca dicta: quæ cõtraria lethalibus alteratione totum etiam ipsa corpus immutãt. Propter hæc itaque nullum vnquam occubuisse ille idem admonuit in lib. de ther. ad Pis. cap. 2. qui commorsus à feris quæ cõsueuerũt necare theriacam subitò sumpsisset. Ac si quis priùs ipsam bibat, indéque paulò pòst ab aliquo serpente feriatur, irritum esse venenum illud compertum fuisse eodem loco scripsit. Confirmat hoc idem factum in capitis damnatis periculum theriacæ aduersus venena, aut etiam in brutis: quibus si longo post assumptum venenum tempore exhiberetur Alexipharmacum, omnia dubio procul morerentur. Per hæc itaque necessitate tanta vrgente, mortéque imminente citissima, quàm celerrimè statim & sine mora, quocunque diei, anni morbi, aut accessionis tempore theriacam offerri debere admonemur.

QVAN-

QVANTVM THERIACÆ SIT OFFERENDVM.

Caput Trigesimumquartum.

MAGNI meherculè momenti rem aggredimur, quantitatis exhibendę theriacæ determinationem inquirentes. Nulla enim hac in re est determinata scientia, sed coniectura tantùm ad eam stabilendã est vtendum artificiosa: in qua ob id aliquando Medicos aberrare censuit Galenus 4. aphor. com. 12. quoniam coniicere artificiosè eius esse illemet dixit 2. de rat. vict. in acut. com. 37. qui vires omnium quæ in arte sunt didicerit, meminerit, séque in artis operibus diligenter exercuerit, paucósque tales existere. Nihil propterea artem medicam æquè in agendo coniecturalem efficere statuit lib. de cur. rat. per sang. mission. cap. 12. vti facit cuiúsque remedij quantitas: cibi, inquit, exhibendi qualitatem & horam frequenter scimus: quantum tamen dandum sit, certò haud nouimus. Laboranti pariter præbendum esse medicamentum hunc vel illum purgans humorem exactè nouimus: cæterùm quantum præberi debeat, nescimus. Súntque qui hac in re committantur errores inemendabiles, vt ibidem Galenus sensit, quia quod semel in ventre deuoratum est medicamentum quominus omne deuoratum sit fieri non potest, neque possibile est, vbi plus quàm cõueniat iam purgetur homo, partem oblati auferre. Quamuis autem theriaca inter purgantia medicamenta verè enumerãda non sit: propter tamen

eius insignes qualitates & in agendo efficaciam sub eorundem proximè recitata norma reponenda est. Excalefacit illa insigniter,& longè magis exiccat: vel etiam interdum refrigerantis adeò est facultatis, vt inter obstupefacientia enumeretur, quorum vtrunque modum si excesserit, noxas interdum facit immedicabiles. Sed& eò magis periculosa res hæc est, quòd sæpe in calidis morbis ea vtimur excalefaciente, difficiléque omnino est medium quidpiam quod omni ex parte tutum sit inuestire. Sæpéque etiam longioris cuiusdam vsus esse debet medicamentum huiusmodi, & crebra requiritur eiusdem reiteratio, vt si fortè fortuna in quantitate modum excesseris, grauiùs multò lædas. Est adhæc ex Alexipharmorũ genere theriaca, in qua quædam venenosa esse contingit, dicitúrque propterea esse media inter corpora perpetientia & medicamenta ipsa lædentia. Eapropter propemodum hæc omnia Alexeteria si largiùs sumpta fuerint, grauiter animãtis corpus oblædere, & ideò ea moderatione quantitatis omnes id genus facultates exhibendas esse Galenus censuit, lib. 5. de simpl. med. facul. cap. 18. vt neque copia nimia corpus offendant, neque exiguitate sua à deleteriis vincantur. Scio antiquos Medicos sua vbique vsos diligentia ad quandã theriacæ quantitatem sese restrinxisse, quæ, vt in pluribus conueniens ac tuta esse illis visa est, non est tamen lex hæc perpetua adeo, quin sæpe aucta aut diminuta ea quantitas non debeat euariari, ab eo scilicet Medico, qui coniectura vti sciuerit artificiosa. Etenim temperamentorum, ætatum, regionum, ægritudi-

ægritudinum, vitæ instituti & aliorum multorum diuersitatem artis opera omnia multipliciter euariare, res est Medico cuique cōperta satis. Quicquid autem fuerit quod quantitatem huiusmodi suadeat euariandam, tutius vbique fuerit paulò infrà potiùs subsistere, & in quantitate ipsa ad id quod minus est, potiùs procedere, quàm ad id quod exuperat deuenire. Nempe quod plus est, inquit Galenus, noxas interdum facit inemendabiles: quod verò minus est, facilè emēdatur. Quod iam oblatum est & deuoratum, id si nimio plus fuerit, quin deuoratum sit fieri haud potest: sed in minore quantitate commissa errata eius auctione facillimè emendātur. Hæc exactiùs paulò persequi placuit eorum occasione Medicorum, qui in administrāda theriaca faciles adeò sunt, vt ipsis quoque mulierculis illius quantitatem committant determinandam. Si tamen interdum audaces nos esse conuenit in quantitate theriacæ exhibenda: certè in venenis id faciendum nobis erit, quorum vis deleteria insignísque est quàm citissimè delenda. Nunc ea adducamus, quæ de huius medicamenti quantitate offerenda particulariùs ab antiquis Medicis constituta fuisse legimus. Neque omnibus hominibus, neque omnibus morbis eandem theriacæ mensuram conuenire existimarunt Aetius & Actuarius: hic lib. 5. suæ meth. med, cap. 6. ille tetrab. 4. serm. primo cap. 96. Morborum enim aliis alij calidiores frigidiorésve, breuiores vel longiores, periculosiores & minùs periculosi sunt: éxque hominibus ætatis, temperamenti, regionísque diuersitas quantitatem quoq.

theriacæ indicant diuersam. Maiorem quidem quantitatem ei homini conuenire certum est, qui morbo frigidiore, longo & periculosiore detinetur, quique temperamento est frigido, in ætate iam prouecta, & in regione frigida: minorem è contra illi qui calidiore affectu, breuiore & magis tuto laborat, & qui temperamentum habuerit calidum, regionémque incoluerit calidam, & in iuuenili aut cõsistenti ætate fuerit cõstitutus. Quòd si veneni causa offerenda est theriaca maximi periculi vrgentis causa, in maiori quantitate ea requiritur. His itaque vti quisque poterit ad rectiùs determinandam in singulis offerendæ theriacæ quantitatem: vniuersaliter autem tantùm locutos fuisse antiquos Medicos dicendũ est, quia id particulariùs ab aliis determinãdum putauerint. Neque tamen vniuersalibus tantùm contentos illos fuisse inuenio, quin etiam ad aliqua non deuenerint particularia, ex quibus deinde de singulis quibusque determinare ad libitum quilibet posset. Andromachus quantitatem istam his carminibus determinauit:

Pondus erit quantum creuit faba quã Pater atro
Atque restagnanti flumine Nilus alit.

Est Nilus Ægypti fluuius ab Æthiopia fluens, & ad pondus ibi enascentis fabæ deuenit Andromachus: quod verò sit pondus istud, paulò infrà declarabimus. Damocrates ipse de hac quantitate sic statuit:

Huius Antidoti plus vna drachma dato
Quantum nux magna, sed parumper amplius.

Senibus plurimum theriacæ sæpiúsque dandum esse,

esse, illi iidem antiqui Medici eisdem locis constituerunt: vnius autem drachmæ pondus singula quaque vice offerēdum determinauit Actuarius. His qui melancholia laborant, quia morbus eorum frigidus est, theriacam assiduè exhibendam esse iidem censuerūt, vt per hanc assiduitatem ex venis & vicinis partibus atram bilem velut exhauriat & cōsumat. Sanguinem verò expuentibus, tanquam satis periculoso morbo correptis, mane vesperíque reiterandam esse medicamenti exhibitionem dixerunt, adusque fabę Ægyptiæ quantitatem, quam eandem quantitatem Galenus in vsum duxit, libr. 5. meth. med. cap. 13. in matrona illa Romana. Huius Ægyptiæ fabæ magnitudinē & quantitatem obolum & semissem pendere is censuit, qui librum de ponderibus & mensuris Galeno adscriptum composuit. Hoc eodem fabę Ægyptiæ pondere plerisque aliis in morbis vtendum esse, apud Galenum, Paulum, & libri de vsu ther. ad Pamphil. authorem legere est: putà in tussi, thoracis doloribus, inflatis, torminosis, cœliacis, splenicis, hepaticis, nephriticis, dysentericis, & menstruorum retentione. In ventriculi autem inflatione, debilitate, vetusto intestinorum dolore, & in voluulo, tanquam hi sint morbi contumaces & rebelles & diuturni, quantitatem auxit Actuarius, nucísque Ponticę pondus eam ęquare debere constituit. Est autem quantitas hæc, Græcorum drachma. Hac eadem quātitate in venenis infringendis, & venenorum animalium morsibus euincendis, vtendum nobis esse omnes ad vnum iusserunt. Quia tamen res maximè tūc vrget, quò ma-

ior Antidoti quantitas assumatur, bis in die propinandam esse theriacam Paulus statuit, veluti & in peste. Sic & Damocrates his carminibus rem determinauit:

Malè commorsis non sufficiet semel
Haurire: metu si quis absolui velit,
Necesse est Antidotum ingerat frequentiùs.

Et hęc eadem Auicennę fuit sententia, cùm in his affectibus à medio aureo ad vnum vsque procedendum esse statuit lib. 5. sum. & tract. primo cap. 3. Cæterùm & in aquæ pauore, tanquam in morbo maximè periculoso & contumaci, iugiter exhibendam esse theriacam suasit Actuarius. Sic & Galenus lib. de ther. ad Pison. cap. 14. podagricis eam frequenter iussit offerri. Quæ de quantitate theriacæ in singulis ferè morbis propinanda scripserunt Auicenna loco nunc scripto & Haly Abbas lib. 10. Pract. cap. 5. si quis attentiùs considerauerit, in idem cum Græcis Medicis eos conuenisse intelliget. Si quis autem præseruationis causa ipsa vtatur theriaca, quãtum temporis illi tribuatur ad Antidoti cõcoctionem iussit Galenus considerandum, lib. de ther. ad Pison. cap. 17. & quando modicum interuallum ad Antidoti cõcoctionem superfuerit, fabæ Ægyptiæ quantitatem non esse superandam voluit. Ad nucis verò auellanæ quantitatem accedendum suadet, cùm plus temporis conceditur, quò possit in corpus theriaca digeri. Hæc itaque tanquam in exemplum ad theriacæ quantitatem in quibuscunque morbis rectè determinandam sufficiant.

QVO-

QVOMODO IN VSVM VENIRE DEBEAT THERIACA.

Caput Trigesimumquintum.

NVNC tandem modum vsus ipsius theriacæ determinemus, qui quidem & ipse ad rectum eius vtendi modum pertinet. Id quidem multis argumentis liquet, sed eo potissimùm, quòd de modo ipsius theriacæ propinandæ longa oratione disseruerunt Galenus & alij antiqui Medici. Itaque si theriacę consistentiam spectes, paulò crassior illa est, quàm vt à se ipsa possit ebibi: est item eius tenuitatis aut etiam eum in modum liquida, vt nec per se possit deuorari. Si liquorē ei adieceris aliquem, potabilis euadet protinus: aliquid solidioris si eidem misceatur, deuorationi apta fiet. Quem igitur in modum propinanda sit, determinandum nobis est. Et quocūque ex his duobus modis illam parari posse determinauerimus, quónam medicamento siue arido siue liquido in aliquam ex recitatis formis reducēda sit, est vltrò vt aperiamus. Andromachus vnum tantùm theriacæ propinandæ modum determinasse visus est, hisce carminibus:

Ipse tribus cyathis, præscriptum dilue pondus
Antidoti, cyathis igne calentis aquæ.

Et Damocrates eandem semitam insecutus hæc scripsit:

Huius Antidoti plus vna drachma dato
Quantum nux magna, sed parumper amplius.
Admistis vini puri cyathis decem.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-29974-p0635-7 DFG

Et Galenus, Aetius, Paulus, & Actuarius de exhibendæ theriacæ modo verba facientes solius potionis meminerunt. At libri de vsu ther. ad Pamphil. author, Haly & Auicenna eiusdem in forma solidiore propinandæ modum commemorarunt. In aqua intercutem, inquit qui librum illum scripsit ad Pamphil. vel vni cyatho aquæ miscetur & bibitur, vel deglutitur. Ille verò, inquit Auicenna, qui patitur abscissionem vocis sumat in potu de ea fabam vnam in aqua mellis aut Robvuæ, aut teneat eam sub lingua. Haly verò dicebat: Et cui antiqua instat cephalæa, lupini offeretur quantitate cum senna, neque aqua. Illud animaduersione dignum esse existimo, quòd sicuti potione ferè semper vtebantur antiqui Medici theriacã propinantes: ita recentiores solidiorem formam perpetuò ferè eligunt. Huius rei in causa esse existimo, delicatius hominum huius æui palatum, amaritudinem medicamẽtorum nullo modo admittens. Sanè amara est theriaca, ad quam contemperandam Falerno vino dulci in eius cõpositione vti voluisse Galenum priore libro docuimus: sed tanta non est eius amaritudo, quæ non possit etiam à palato sine molestia tolerari. Sed eo processit hoc tempore molluties, vt nihil nisi gratum à quamplurimis admittatur. Profectò delicati adeò & molles antiquitus non erant homines, qui & hieram ipsam, quæ amarissima est, in potu ebibebant, quemadmodũ centies Galenus scripsit. Quòd autem antiquitus molestiorem modũ theriacæ propinandæ insequerentur Medici, maioris vtilitatis ægrotantium causa id factum fuisse existimo.

existimo. Etenim liquorem aliquem morbo illi, cuius occasione offertur theriaca, aduersantem facilius fortè est inuenire, quàm puluisculum aut quidpiam aliud solidius eadem virtute preditum theriacæ miscendum, quod solidiorem formam quò deuoretur illi tribuat. Facilius insuper est (& est hoc maioris momenti) sumptam in forma liquidiore theriacam concoqui, & ad partem affectam, si vltra ventriculum fuerit, peruenire, quàm si solidior fuerit deuorata. Ego verò de re huiusmodi sic statuendum censeo: illius cui dandum est medicamentũ naturam & mores cognoscendos esse: morbi item & affectionis à quibus ille opprimitur essentiam perpendendam: locúmque corporis qui patitur attendendum. Sunt aliqui quos deuorare medicamenta in bolis parata omnino impossibile est, quia strangulari videantur. Alij è contra potiones euomunt omnes, & bolos quàm facillimè deglutiunt: complures ad vtrunque maximè apti & faciles sunt. Exiccatiuum si necessitas morbi postulet, solidior forma conuenientior esse videtur: liquidior è contra magis vtilis, si humectatio requiratur. Ventriculi laborantis causa sumpta medicamenta solidiorem formã postulant, quò diutius in eo permaneant: liquidiorem autem, si hepatis aut renũ occasione assumãtur, quia sic faciliùs ad eas partes peruenunt. Vbi itaque ad vtrunque modum aptus fuerit ægrotans, indicationi à morbo & à parte affecta desumptæ ad plenum satisfaciendum erit. In aliis cuipiam ex his modis minùs aptis nihil cui maximè repugnet natura tentandum est, & modò

solidior, modò liquidior forma erit eligenda, prout ipsius ægri natura particularis consuetudóue huic vel illi formæ est magis apta. Quomodocunq. autem theriacam offerre contingat, eo semper erit illa paranda medicamento, quòd morbo ipsi vnà aduersetur: & aliquam, si fieri poterit, habeat cum particula laborante sympathiam siue conuenientiam. Huc eos respexisse qui medicamentorum compositioni, cuiuscunq. generis ea fuerint, iuuigilarunt, satis cuique constat. Hoc idem Galenum, Aetium, Paulum, Actuarium, Auicennam, & Haly Abbatem obseruasse facile potest demonstrari. His qui sanguinem expuunt in decocto solidaginis herbæ dissoluendam iussit theriacam Galenus lib. de ther. ad Pison. cap. 14. venenatis, aut ab animalibus venenum iaculantibus demorsis, cum vino: Orthopnoicis, cum aqua mulsa: tussientibus, si febrem habuerint, cum eadem aqua: sin minùs, cum vino mulso: lienosis cum aceto mulso: nephriticis cum decocto petroselini: hydropicis cum sisari & similium decocto: retentis mensibus cum aqua mulsa in qua decocta fuerit ruta aut dictamnum. Et Aetius ad vocem abscissam cum dupla tragacantha & vino mulso iussit liquefaciendam theriacam: ad scirrhũ lienis, cũ aceto scillitico: ad dysentericos, cũ rhois decocto. Paulus in voluulo & intestinorũ doloribus ex aqua calida: si tineæ adfuerint, cuiuscunq. generis extiterint, ex succo mentę, potãdam voluit theriacam: Actuarius verò ad vlcera intestinorum cum sanguine, in aqua sumach: ad epilepsiam, cum oxymelite scillitico. Auicenna contra

contra canis rabidi morſum, cum cinere cancrorum fluuiatilium, contra ſcorpionis morſum cum mero, contra ventriculi inflationem cum puluere cymini: contra ictericiam, cum Aſari decocto: contra longos lumbricos, cum decocto abrotoni: contra cephalæam, cum ſena: contra elephantiaſim & lepram, cum aqua caſei: quod idem ſenſit & Haly Abbas. Nobis itaque theriacam adminiſtrantibus, ad eius formam & vtendi modum rectè determinandum, hæc ſint in exemplum, doceántque vltrò, quibuſcum medicamentis neceſſitate cogente miſcenda ſit theriaca: cuius componendæ explorandæq. modum, facultates item, & quibus morbis occurrat, vnà cùm recto eius vtendi modo, ſatis, ni fallor, abundè declarauimus: omnibus, quantum nobis licuit, diligenter conſideratis nihil prætermiſimus, quod de ipſa theriaca quæri poſſe videretur. Quare vt rei hunc finem imponamus conuenit.

Deo Trino & vni honor ſit & gloria.

FINIS.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-29974-p0639-3 DFG

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-29974-p0640-3
DFG

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-29974-p0641-9
DFG

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-29974-p0642-5
DFG